SPECIMEN

MEDICUM INAUGURALE

DE

PHLORIDZINE.

SPECIMEN
MEDICUM INAUGURALE,
DE
PHLORIDZINE.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

LUDOVICI GERARDI VISSCHER,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

ANDREAS ADRIANUS ANTONIUS BARNING,

LEIDENSIS.

AD DIEM XXX JUNII MDCCCXXXVII, HORA V.

LEIDAE,

APUD J. W. VAN LEEUWEN,

MDCCCXXXVII.

EX TYPOGRAPHEO A. SCHIKHOFF.

VIRIS CLARISSIMIS

B. F. SUERMAN,

MED. ET CHIR. PROF. ORD.

IN ACADEMIA

RHENO-TRAJECTINA.

ET

J. G. S. VAN BREDA

PHILOS. ET MED. DOCT. IN ACAD. LUGD. BAT.
ZOOLOG. ET GEOLOG. PROF. ORDIN. PRIMAE
CLASSIS INSTITUTI REGII BELGICI
SCIENTIARUM ET ARTIUM SOCIO
ETC. ETC.

S.

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b22390765

PRAEFATIO.

Quandoquidem, ut rite vitae academicae finem imponerem, quoddam studiorum specimen mihi esset conscribendum, talem potissimum materiem tractare cupiebam, quam propriis quantumpote experimentis illustrare possem.

Ita autem incidi in Phloridzines historiam, quae haud una ratione arti nostrae patriaeque veram utilitatem promittere videbatur. Scilicet in genere quidem medicinae proficuum fore sperabam, si ex arbore vulgatissima, ex malis, pyrisque, aptum hauriri febrifugum posset. Et vero imprimis in patria nostra, quae endemico laborat febrium intermittentium malo, momenti plenum esse remedium indigenum, Sulphati quininae surrogatum, probe videbam.

Quum vero toties jam Medici exspectatione talis desiderati frustrati fuerint, hinc accurate et prudenter rem esse indagandam intellexi. Continuo

igitur scripsi ad Phloridzines detectorem, Clar. DE KONINCK, *et, certior factus experimentorum, quae alibi capta erant, eadem ipse repetere constitui. Quapropter, autumnali anni praecedentis tempore in Zelandiam me contuli, matricem illam febrium intermittentium, ibique fide vim Phloridzines in hoc morbo exploravi.*

En igitur, L. B., quae tibi jam offero. Primum tradam, quae aliorum experientia docuit, tum exponam, quae ipse observavi, tandemque ex hisce factis conclusiones de Phloridzines actione usuque elicere studebo.

Haec sunt, quae argumenti rationem spectant; ad quod antequam accedo, jubet gratus animus, Viris Cell., quorum scholis, et in Academia Lugduno-Batava, et in Rheno-Trajectina, interesse licuit, gratias agere quam maximas pro egregia, quam ab iis accepi, institutione.

Imprimis etiam tibi, Cl. van Breda, pro singulari benevolentia, qua me complexus es, consiliisque et officiis, quae mihi nunquam denegasti, me quam maxime obstrictum sentio.

Etiam te, Cl. Suerman, nominatim hîc compellare liceat, qui Promotoris munus ea, quam semper mihi praestitisti, humanitate, lubenter suscipere voluisti. Accipe, Vir Cl., pro beneficiis, quae per illud, quo Academiam Rheno-Trajectinam frequentavi, biennium in me contulisti, grati animi significationem.

INTRODUCTIO.

Commoda, quae ex Cortice Peruviano medicina, detectis principiis, quibus hujus corticis vis antiperiodica debetur, in depellendis febribus intermittentibus percepit, optime refutaverunt opinionem eorum, qui fructus, quos ars nostra ex chemià capiat, exiguos esse contenderint. Etenim, qui antea solo Cortice febribus intermittentibus mederi studuerunt, sed deinde Sulphate Quininae

usi sunt, quanta hujus fuerit vis, etiam ubi Corticis usus optatos successus non habuit, ipsi testantur, iique inprimis, qui medicinam fecerunt in regionibus, ubi febres intermittentes endemicae sunt. Plerumque sane hoc remedio utentem spes non fefellit. Quoniam tamen nonnulli dentur casus ubi minus successisset, plurimis propterea erat expectatio, fore ut remedium inveniri contingeret, quod, Quinina spem frustrata, cum fructu adhiberi posset, ac aliquando cessaremus tributarii esse novo mundo, detecto nempe satis valido antiperiodico in nostrà, quam incolumus, terrae parte. Atque hoc desiderio multi incitabantur, ut diversa illa principia organica nuper detecta atque Quininae nonnullis in partibus convenientia, in febribus adhiberent intermittentibus.

Verum experientia plurimum aberat, ut eorum expectationi responderet. Quare non sine aliquâ dubitatione in primo volumine operis, quod inscribitur: *Encyclographie des sciences médicales*, excerpta legi e dissertatione Viri clarissimi de Koninck quibus antiperiodicum, recens a viris Stass et de Koninck detectum, laudabatur. At-

tamen rei gravitas me impulit, ne temere procederem, quapropter ipsam dissertationem, quamvis non sine multis impedimentis, mihi comparavi. Atque ea dissertatio tam eleganter tantoque veritatis studio composita erat, ut auctor de re, quam tractat, optime meritus esse mihi videatur. Ex quo, quoniam mihi res disquisitione perquam digna appareret, decrevi cum Phloridzine (hoc enim nomen novo specifico tribüerant) experimenta quaedam instituere. Quibus si quando constaret hoc remedium antiperiodicum esse, de hac materia copiosius agere constitui, imprimisque de utilitate, quàm medici ex cortice mali capere possint.

Ex hujus corticis experimentis propterea fructus haud ingrati ut mihi redundarent fore existimavi; quoniam Geiger, Vir clarissimus, in opere cui titulus est: *Handbuch der Phamacie zum Gebrauche bei Vorlesungen*, Tom. IV. sequentia de eo cortice habet « *die Rinde von jungern Zweigen schmeckt* « *herb und starck bitter*," et « *die Rinde wird* « *in Abkochung gegeben, man bereitet daraus ein* « *Extract* (Extractum corticis mali sylvestris), « *welches*, (WOHL NICHT MIT UNRECHT) *gegen* « *Wechselfieber gerühmt würde. Die Blumen*

« *wurden als Theeaufguss verwendet.*" Tum etiam Gmelin, Vir clarissimus, testatur, Heidelbergae alabastra mali, non sine fructu adversus febres intermittentes adhiberi.

Postea vero quam in nonnullis vetustioribus ac recentioribus, quae tam de materia medica quam de pharmacologia agunt, operibus, irritam operam collocavi, ut aliquid quod usum hujus corticis illustraret reperirem; tandem in illo universali repertorio cui titulus: *Dictionnaire des sciences médicales* in haec pauca incidi: « *L'écorce du pommier, est tonique, adstringente, comme celle des arbres de la même famille en général. On en obtient une teinture jaune,*" quae inveniuntur pag. 278 voluminis 44, quod anno 1820 in lucem prodiit.

Sic igitur existimavi hanc materiem adhuc parum esse cognitam, mihique proïnde tentandum, rem ita elaborare; ut saltem quidquam lucis rei addere videar.

Verum enimvero inter adumbrationem rei elaborandam materies limitibus praescriptis longius excedere apparuit, quam initio quis cogitavisset. Etenim si quis definire vellet: quaenam foret medici-

nae ex cortice mali futura utilitas necesse esset:

1°. Corticis, nonnullarum maxime cognitarum mali sylvestris varietatum, institueretur analysis qualitativa et quantitativa; simulque per eam indagaretur vis, quam humi diversitas, arborum aetas, varietas etc., in earundem principia haberent.

2°. Ejusdem corticis periculum fierit, *tum* in siccata, *tum* in recenti conditione, (in pulvere, in decocto vel in infusione) *sive* seorsum, *sive* aliis mixti principiis; tam apud hominem sanum, quam apud aegrotantem.

3°. Deinde experimenta etiam fierent ope diversorum, quae in cortice inveniretur, principiorum; nempe eorum vis siquidem foret incognita.

Quae experimenta quum ampliora temporis spatia requirant, eaque mihi desint, constitui, quin proposito valedicerem, hanc mihi dicere legem, ut, caeteris missis, nunc tantum inquirerem, an Phloridzine reapse sit antiperiodicum, et quinam medicinae exinde sint fructus expectandi; idque maxime propterea quod vix dubium sit, quin Phloridzine, nisi solum, at princeps certe sit princi-

pium corticis mali, quod in hominem efficax esse deprehendatur.

Quum saepius ineptam, qua medicamina usu probanda adhiberi solebant, rationem reprehendissem, statui, ne eundem errorem errarem, prudentissime agendum esse, tum maxime quum antiperiodicum sit experiendum; et fortasse nulla dantur remedia in quibus experiundis, majori opus sit cautione.

Quum anno praeterito experimenta, quae instituerat Hanegraeff. Vir doctissimus, mihi incognita essent, credidi Phlorizines vim nondum ibi probatum fuisse, ubi febres intermittentes endemicae sunt. Quare me conferre in Zelandiam decrevi, idque eo quidem tempore, quo nonnisi febres fere occurrant *sive* naturâ suâ, *sive* comitantibus eas laesionibus, pertinacissimae. Quod in dijudicandis, quae ope Phloridzines obtinui, eventis, semper ante oculos habeat lector.

Amicissimorum Virorum Resler et van Opdorp operâ et consilio, quae mihi deinceps obtigerint observationes, meas feci. Quibus ut egi, sic ago agamque gratias pro omnibus, quae mihi largiti sunt, benevolentiae suae documentis, quae si unquam

ex memoria exciderint, me ingrati sordidique animi esse, lubens fatebor.

Quas feci in insulà Valacrià observationes, triginta et duae sunt; quarum autem tantum viginti octo argumenta pro Phloridzines actione nobis adtulere.

In quindecim horum casibus Phloridzine depulit febrem, in reliquis ea minus successit. Tres aegros Sulphate Quininae; sex Laudano liquido Sydenhami convaluerunt; quatuor a me, ex Zelandia abeunti, nondum curati relicti sunt.

Quod autem in tot casibus eventus me fefellerit iis maxime perturbationibus attribui debere censeo, quibus febris tollenda complicata fuit.

Hanc dissertationem conscribenti multa adversa acciderunt, in iisque maxime, quod fere duos menses morbo impeditus, non omnia sic peregi, ut volui; unde si quem opusculi nactus fuero lectorem, is magis *quid* tractaverim quam *quomodo* consideret, dijudicetque.

Dissertationem in quinque capita divisi.

In quorum primo, quod desumptum est integrum e dissertatione jam supra laudatâ Viri clar. de Koninck, Phloridzines proprietates tam physicae quam chemicae, ejusque praeparationes referuntur.

In secundo de actione, quam habet Phloridzine in hominem sanum ago.

In tertio, ea experimenta collegi, quae alii artis periti in homine febri intermittenti laborante instituerunt.

In quarto, quas et ipse in Valacriâ ope Phloridzines feci observationes, refero.

In quinto denique capite generalia quaedam expono de Phloridzines usu, praeparatis, adhibendique modis.

CAPUT I.

PHLORIDZINES PROPRIETATES PHYSICAE ET CHEMICAE.

Quum cortex mali, pyri, pruni et cerasi a chemicis nondum indagatus esse videretur, Vir clarissimus L. de Koninck, suadente Viro clarissimo van Mons, ejusdem analysin in se suscipere statuit. Illius Viri indagatione, materia hucusque incognita detecta est, cui, quoniam primum in cortice radicum, quas supra dixi, arborum inventaerat, *Phloridzines* nomen dedit, a Graecis vocabulis φλοίος et ῥίζα.

Quoad naturalem hujus materiae conditionem, auctoris opinio est, Phloridzinen, quae et in cortice radicum, trunci et ramorum, et in foliis arborum, quas memoravimus, reperiatur, in iisdem materiei tingenti rubro colore conjunctam adesse. Haec autem conjunctio id habet memoratu dignum, ut quo magis minusve principium colorans adsit, eadem ratione Phloridzine minuatur. Consequens est, ut haec minori quantitate in ceraso insit,

quam in malo, *dum* contra illud principium colorans in priore majori quantitate adest, quam in altera.

Cortex, qui Phloridzinen continet, exsiccatus rubescit, Phloridzine propemodum evanescente. Humida haec substantia, aëri exposita, colorem rubrum attrahit; ex quo conjici licet, id principium colorans atque Phloridzinen partes esse corticis haud multum diversas inter se, ita ut haec facillime in illud principium transeat.

De Koninck ipse, Vir clariss. Phloridzinen ulterius inquisivit, praeside celeberrimo Mitscherlich; ex quo ei patuit, eandem sequentibus proprietatibus, ab omnibus, quae hucusque novimus, corporibus discrepare.

Pellucida est, subalbida, aliquantulum flavescens; ejus crystallisatio sub duplici forma apparet, *vel* acuum tenuium, penicillorum in modum conjunctarum, *vel* majorum, latiorum ac compressarum.

Posteriores margaritae splendorem referunt, aliquanto magis prioribus flavescentes; sapor primum dulcior aliquanto est, mox amarus et adstringens. Pondus specificum est, temperaturà 19°. C, 1, 4298. Mille aquae partibus ad temperaturam 22°. 1, 2 pars Phloridzines solvitur. Quo major autem est temperatura, eo magis solubilis evadit Phloridzine, adeo ut aqua bulliente permagna quantitas Phloridzines dissolvi queat. Mille partes alcoholis ad eamdem temperaturam, multo majorem Phloridzines quantitatem solvunt, atque, quo magis augeatur

temperatura, eo magis resolvitur Phloridzine, donec illa 100° attigerit: simulac vero temperatura eo pervenerit, solubilitas hujus principii in utroque liquido aequalis est. Phloridzine, per alcohol soluta, aqua addita, ab eodem iterum forma crystallina separatur. In Aethere autem prope indissolubilis est.

Unaquaeque solutio Phloridzines purae neque tamquam acidum, neque tamquam alcali reagit. Ad levem temperaturam exsiccata, semper tamen continet 7% aquae partes, quas temperatura 100° amittit. Hoc si quando obtineat, numquam iterum eam attrahit, etiamsi aëri valde humido exponatur.

Phloridzine per aliquod tempus temperaturae 100° exposita, liquescit; quodsi temperatura augeatur ad 177°, ebullit; ad 197° si pervenerit, decomponitur, unde exigua quantitas acidi Benzoïci formatur, temperatura ulterius adscendente; acidum pyro-aceticum decolor, acidum carbonicum et tandem liquidum, olei simile, secernitur, nihil nisi pauxillo carbonis remanente.

Phloridzine vero pari modo ampla, quantitate calcis commixta et calori exposita, eadem inde eveniunt, praeterquam quod nullum acidum Benzoïcum existit, neque acidum carbonicum in receptaculum venit, quod scilicet calce absorbetur.

Phloridzine humectata acido sulphurico concentrato resolvitur, quin ea per aliquod temporis spatium aliquo modo decomponatur. — Phloridzine autem sicca statim decomponitur, in carbonem vertitur. Haec mixtura Phloridzines et acidi sulphurici minus fulvo colore est, quam ea, quae acido

sulphurico et salicina constat. Quodsi Phloridzine et acidum sulphuricum anhydrum inter se invicem se contingunt, Phloridzine paulatim decomponitur, et massa oritur primum fuscum, postea colorem referens plane nigrum, nec quidquam acidi sulphurosi inde existit. — Ubi 10 partes Phloridzines cum una parte acidi sulphurici et sufficienti quantitate aquae, vel etiam per 2—6 horas coquantur, nihilominus ea non decomponitur; et liquori frigefacto Phloridzine quasi crystalli granulorum in modum *(Cristaux grénus)* aliquantum viridi colore secernuntur, qui denuo in aqua soluti omnes Phloridzines recipiunt proprietates.

Acidum nitricum dilutum Phloridzinen resolvit, quae solutio viridem nanciscitur colorem; atque, hac sibi relicta, post 24 horas praecipitatum oritur subflavum. Acidum nitricum concentratum magnam vim eamque subitam in Phloridzinen habet, quae primum inde fuscum colorem et resinosum adspectum capit et brevi (maxime temperaturâ aliquantisper auctâ) resolvitur. Quodsi haec resolutio juste concentratur, pro certo scimus, omnem Phloridzinen in acidum oxalicum esse conversam.

Phloridzine integra et immutata acido hydrochlorico diluto resolvitur; acido non diluto eam decomponente atque in massam rubram vertente. Acidum aceticum concentratum Phloridzinen facillime resolvit, quin eam cuiquam mutationi subjiciat. Accedentibus autem alcalibus, Phloridzine iterum separatur. Ammonia et reliquis alcalibus causticis

et aqua calcis et barytae Phloridzine solubilis, sed additis acidis immutata iterum ex iis separatur.

Hujus principii formula atomistica haec est: $\frac{C^{14} H^{18} O^{9}}{2}$. Formula autem salicinae secundum Gay Lussac et Pelouze haec est: $C^{7} H^{10} O^{4}$. Nullum igitur isometron inter duo haec corpora intercedit, quae, quamquam quibusdam in rebus inter se conveniunt, in multis aliis tamen haud parum a se invicem discrepant.

Crystalli enim Phloridzines parvi sunt et tactu molles; salicinae autem majores, neque ita tactu molles; 1000 partes aquae requiruntur ad 1, 2 Phloridzines partem resolvendam, ubi aequalis aquae quantitas multo plus salicinae resolveret.

Si chloruretum calcis solutioni Phloridzines additur, ea colorem flavum recipit, qui paucis diebus post in fuscum transit: solutio autem salicinae hujus modi additione flavum colorem minime caperet. Quodsi Subacetas plumbi vel Sulphas deutoxydi ferri Phloridzinae addatur solutae, ea praecipitatur, quum iis corporibus solutioni salicinae immiscendis nullum formetur praecipitatum.

PRAEPARATIO PHLORIDZINES.

Ea est duplex: nam fit *vel* ope aquae *vel* alcoholis. Quodsi priori uti velis, cortex vasi imponendus est, cui sufficiens aquae quantitas infundatur, ut ea continuo tegatur. Deinde vas fornaci imponatur, in quo per 4 vel 5 horas coquatur, quo facto aqua effundatur, sed pari quantitate

aquae iterum immissa, cortex unam vel duas horas recoquatur; haec denuo effusa cum priori, sed seorsum unaquaeque, in loco frigido 24—36 horas seponatur. Quo maxima pars Phloridzines a liquore jam separatur, quae vasi intrinsecus tamquam crystalli magis minusve colorati et granulorum in modum *(cristaux grénus)* adhaerescit: hi colligantur et, cum exigua quantitate carbonis animalis mixti, solvantur, ut denuo crystallisentur.

Hoc aliquoties iteretur, donec hac vià purissima Phloridzine acquiratur.

Deinde lixiviae colligantur, quae leni calori exposita evaporentur ad $\frac{1}{5}$—$\frac{1}{6}$. Exinde nova quantitas Phloridzines separatur, quae tamen minus pura est quam ea, quae antea ex iis oriebatur.

Altera ratio praeparandae Phloridzines haec est. Corticum, qui hucusque in vase collecta erant, frustis infundatur tantum Spir. Juniperi, vel Sp. vini diluti, quantum satis est ad ea obtegenda; et vas deinde septem octove horas temperaturae sit 50° aut 60° expositum.

Tum spiritus effundatur iterumque addatur novus, atque hic denuo effundatur, atque, hoc aliquoties repetito, in iisdem corticum frustis, tandem colligantur omnes, destillentur apto apparatu, donec quator quintae partes spirituum receptaculo contineantur. Residuum 24 horas in loco frigido seponatur; quo temporis spatio haud ita exigua quantitas Phloridzines separatur.

Denique residuum evaporetur. Quodsi Phlorid-

zine pura esse debeat, eodem modo agendum est, quo in prima praeparatione traditum est.

OBSERVANDA.

1°. Quoniam cortex radicis maximam quantitatem Phloridzines continet, semper tentandum est, si potest fieri, ut is conquiratur.

2°. Iste cortex recens esse debet, quoniam in eo, simul atque siccatus sit, nulla Phloridzines vestigia reperiuntur.

3°. Reliquis arboribus mali cortex multo praestantior est, quippe qui multo majorem quantitatem Phloridzines continet, quam reliquarum arborum.

4°. Cortex ab omni actione aëris immunis servari debet, quod fieri potest, si, postquam a radice separatus est, mox aquae vel alcoholi immittitur.

5°. Aqua vel alcohol, quae praeparationi inserviunt, neque acida neque alcalina esse debent.

6°. Omnia instrumenta, quae in praeparanda Phloridzine adhibentur, neque ferrea, neque plumbea esse licet.

7°. Prior praeparandi modus minus commendandus quam alter, quoniam

a. hic minus materia poscit;

b. recepta quantitas Phloridzines, quae obtinetur, si aquae ope Phloridzinen parare velles, minor est 2% quam ea, quae altero, quem diximus, modo existit.

c. Quae altero modo orta est Phloridzine, albior est; neque igitur tam crebra opus est crystallisatione, ut ea purificaetur.

d. Priori modo praeparandi continuo aliquis adsit oportet, quod in altero modo non opus est.

8°. Attamen, si priori modo experiri velis, curandum est; licet, liquidum effusum per id temporis spatium, quod Vir clar. de Koninck descripsit, ad substantias resolutas Phloridzine separandas sibi ipsi relinquendum sit, ne tamen diutius unquam seponatur, siquidem tertio vel quarto die post effusionem acescere potest, quo magna pars Phloridzines periret.

9°. Liquidum corticì supernatans decantandum est, quod una cum Phloridzine principium adstringens resolutum tenet, cujus actione in filtra liquidum non nisi admodum lente perfluere potest; id, quod ansam praebet Phloridzinae eo contentae, ut filtro adhaereat.

10°. Crystallorum forma, de qua primum diximus, ea est, sub qua Phloridzine vulgo apparet, quodsi tamen alteram formam i. e. acus latiores et planiores desideremus, quinque aut plura litra sumantur solutionis Phloridzines saturatae ad temperaturam solitam. Concentretur solutio ad $\frac{1}{3}$, deinde, paulatim refrigescat; et per 4 aut plures dies seponatur. Non semper tamen contingit, ut crystallorum forma desiderata obtineatur; Viro clarissimo de Koninck, decies experimentis factis, non nisi ter illud contigit.

CAPUT II.

DE ACTIONE, QUAM PHLORIDZINE EXERCET IN HOMINEM SANUM.

Praecedenti Capite vidimus, quaenam praecipuae tam physicae, quam chemicae Phloridzines proprietates hucusque sint cognitae. Quoniam autem ad historiam generalem Phloridzines multum confert, quomodo ea in nostrum corpus, secunda utens valetudine, agat, periculum in me ipso facere decrevi. Itaque duas series experimentorum faciendas judicavi, in quarum priore omnia ista retuli, quae, Phloridzine sub forma solida adhibita, institueram; ad alteram ea relaturus, quae mihi animus erat facere ope Phloridzines, in quodam liquore dissolutae.

Primam quidem seriem experimentorum facere licuit, eamque infra dabimus. Altera mihi series minus successit: nam in primo experimento non ea, qua par erat, prudentia usus sum. Novem experimenta feci per Phloridzinen sub forma soli-

da. Ea autem institui mensibus Martii et Aprilis hujus anni, ac diversis quidem non subsequentibus diebus. Phloridzinen cum pauxillo sacchari atque frigida aqua commixtam sumsi, tempore matutino paulo ante horam octavam. Per tres horas subsequentes nihil sumsi; scilicet tempus illud mihi sufficere videbatur, ut vim Phloridzines, nulla re impeditam, observare possem.

Illa ergo experimenta simplicissima fuere, ac quidem prima vice sumsi dimidium decigrammatis Phloridzines;

secunda « « decigramma
tertia « « dimidium gramma
quarta « « unum «
quinta « « unum et dimidium gramma
sexta « « duo grammata.

Ultima vice, simulac sumsi Phloridzinen, nauseam quandam expertus sum, in cujus locum mox ingratus ventriculi successit sensus; neque tamen pulsus neque calor corporis ullam subiit mutationem.

Eo et sequenti die ciborum plus solito appetitus fuit; cui licet non omnino satisfecissem, jam secundo die, postquam Phloridzinen sumsi plane cessavit.

Septima vice tria grammata Phloridzines sumsi;
octava « quatuor « « «
ac denique nona vice quinque grammata. Singulis iis vicibus eadem phaenomena apparuerunt, quae supra, praeterquam quod octava et nona vice eibi appetitum non auctum sensi, sed contra eo

die, quo sumseram Phloridzinen, omnis fere appetitus cibi prostratus erat. Caeterum nulla phaenomena observavi, quae mihi vim, quam exercet in systema nervosum Phloridzine, ostenderent.

Num actio Phloridzines tantum localis fuit? Ad hanc quaestionem in quinto capite, quantum in nobis est, respondebimus.

Lubenter fateor, ista experimenta pauciora esse, quam ut quidquam certi ex iis concludi liceat. Verum tempus mihi deërat illa in me ipso repetendi; ad alios vero quod attinet, occasio defuit periculum in iis faciendi.

Forte quis quaerat, quare tam exiguam quantitatem Phloridzines in primis duobus experimentis adhibuerim?

Scilicet multorum experientia jam docuisse videtur, multa remedia, eaque efficaciora, non semper tum maxime agere, quum majori dosi praescribantur, sed contra saepe accidere, ut tum vehementius agant, ubi minor eorum dosis praescribatur. Quod igitur quum in tot remediis jam sit observatum, mihi quidem ipse legem semper scripsi, ut, quoties mihi opportunum esset, diversa remedia, quorum major solet dosis praescribi, multo minori quantitate adhiberem. Atque ea, quae ex iis consecutus sum, mihi persuaserant, ut etiam Phloridzinen minoribus experirer dosibus. Attamen usu doctus sum, Phloridzinen, sub formâ solidâ adhibitam, non nisi majori quantitate (10 granorum — 1 drachmatis) quidquam

habere utilitatis. Dubito autem, an quantitas ad curandam febrim unquam ad quinque grammata extendi debeat. Quodsi videamus, Phloridzinen, in aliquo casu minori quantitate adhibitam, successu caruisse, etiam tum absurdum foret, tam magna uti Phloridzines quantitate, quoniam ex iis, quae mox sequentur, admodum verisimile fit, ventriculum numquam hujusmodi quantitatis patientem fore, si Phloridzine reapse ageret. Verum ad alia nunc transeundum est. Quum, quantum equidem tum sciebam, nondum talia experimenta facta fuissent, eorum consequentias cum Viro clarissimo de Koninck communicavi, qui, litteris ad me Leodio datis, decimo octavo Aprilis, haec scripsit: « Je n'ai encore essayé la « Phloridzine, que sur moi-même. J'en ai pris jus- « qu'à un gros — J'en ai ressenti le même effet « que vous; outre une constipation assez opiniâtre « que j'ai vaincue au bout de quelques jours par « un leger purgatif. Du reste je n'en ai ressenti « aucun autre mauvais effet. Un médecin homoeo- « pathe de cette ville s'occupe à en reconnaitre « l'action homoeopathique sur l'homme sain. Jus- « qu'ici il n'en a rien obtenu, ce qui d'ailleurs « n'est pas étonnant."

Ex his igitur mihi effici posse videtur, Phloridzinen, *sub formâ solidâ sumptam*, parum tantum irritare membranam mucosam: phaenomena enim quae et a Viro clarissimo de Koninck et a me observata sunt, indicare videntur, ventriculum revera, quamquam non vehementer, Phloridzine

irritari. Ad formam autem, sub quâ Phloridzine adhibetur, maxime attendendum, quoniam mihi constitit, Phloridzinen solutam magis irritare membranam mucosam gastro-intestinalem.

Mense enim Aprilis hujus anni, 2½ grammata Phloridzines, in quatuor unciis aquae, aliquot guttulis acidi sulphurici additis, solutae, in anum injici jussi. Pellucida haec solutio Phloridzines, quae tepida erat, statim post clysma vehementissimis me affecit doloribus; neque nisi summo nisu eam per duas propemodum horae sexagesimas partes retinui; sed, dolore victus, mox eam dejicere cogebar. Quamvis ea solutio breve tantum temporis spatium in contactu cum interna superficie intestini recti fuisset, post ejectam solutionem vehementissimi exstiterunt tenesmi, qui totam noctem ac tres subsequentes dies, licet tandem sensim sensimque minuti, perseveraverunt.

Aliquot horis post hoc clysma evacuatum multum sanguinis dejeci, id, quod duobus primis diebus ad singulos tenesmos contigit, sed postea materies, ita deperdita, erat tantum sanguinolenta, ac serius non nisi mucus admodum foetidus. Per plures quam octo dies his tenesmis vexatus sum. Ex hoc autem experimento derivari posse existimavi, vim irritantem in certa aliqua quantitate Phloridzines *solutae* majorem inesse, quam quae in majori *non solutae* ejusdem materiae parte habetur.

Quum actio localis Phloridzines, prouti aut sub forma *solida*, aut sub forma *liquida* sumatur, tantopere discrepet, poni licere credo: tum demum,

quum Phloridzines ope, aliquo modo solutae, in homine sano aliquot experimenta fecerimus, vim, quam ea in hominem aegrotantem exercere possit, cognitum iri. Ex superioribus tamen hoc efficere mihi licere autumo:

1o. Phloridzinen, sub forma solida sumtam, sano homini non nocere.

2o. Eandem, licet non vehementer, irritare mucosam membranam, ventriculum interne obtegentem, ubi in contactu cum ea sit.

3o. Phloridzinen nulla, quae deprehendi possint, phaenomena pro praesenti conditione medicinae exhibuisse, quae quidem actioni ejus in systema nervosum tribuenda forent.

4o. Solutionem Phloridzines valde concentratam maximopere irritare membranam mucosam gastro-intestinalem.

5o. Verisimillimum esse, in iis casibus, in quibus quantitas, quinque grammata excedens, praescripta sine incommodis fuerit, et in quibus ventriculus non magnopere irritatus deprehendatur, partem tantum sumtae Phloridzines solutam fuisse. Itaque ut est in proverbio: *corpora non agunt nisi soluta*, tali casu confirmari.

Quae ex eo consequi possis, quod usum spectat Phloridzines in homine aegro, luculentius capite quinto videbimus.

CAPUT III.

OBSERVATIONES DE PHLORIDZINES EFFECTU MEDICO, A VARIIS ARTIS PERITIS INSTITUTAE.

Postquam Quinina ejusque sales tam felici successu in febribus intermittentibus adhibita sunt, ex eo fortasse plus aequo laudari coeperunt principia proxima vegetabilium deinceps detecta. Quo factum est, cum tot remedia, quae tanquam antiperiodica commendata fuerant, non id effecerint, quod ex iis exspectabatur; ut tandem plerique medici non amplius eorum, quae usu nondum comprobata erant, ope experimenta instituere voluerint.

Sed quanquam sententiam Viri clarissimi Chomel amplectimur, dicentis: « Le nombre de médicaments décorés du titre de febrifuge est immense; mais si l'on en excepte un seul, leur action est généralement faible et douteuse." (Chomel, *observat. relativ. à l. poudr. de Houx dans le traitem. des fièvr. intermitt. Mém. de l'Acad. Royale de Méd. Tom* III. *pag.* 334.). Non minus tamen sequentia verba animadvertimus." Loin de moi l'idée de blâ-

men les efforts toujours louables des médecins, qui ont cherché, dans de nouvelles substances, de nouveaux moyens de combattre un genre de maladies aussi répandues que le sont les fièvres intermittentes. Bien qu'on ait beaucoup exagéré les inconvéniens attachés à l'emploi du quinquina, il est, je le sais, des cas, dans lesquels ce remède est contre indiqué, il en est dans lesquels il est impuissant; et, quelque rares que soient ces cas, il serait utile de trouver un moyen qui leur fût applicable."

Constituimus igitur, nullo partium studio, nostris ipsorum experimentis videre, an Phloridzine, tanquam antiperiodicum commendata, reapse hujus naturae esset. Quoniam hac in re numerus observationum, si nimirum cum aliqua certitudine ex iis concludere velimus, haud exiguus esse debet, a duobus Viris, quos noveram, quibusque opportunitas hujus rei erat, petii, ut Phloridzines experiendae gratia, aliquot observationes instituerent. Sed alter tantum eorum, id quod rogavi praestitit. Est igitur Vir doctissimus Quarin Willemier, cui hac opportunitate lubenti animo gratias ago. In quinque enim casibus Phloridzine usus est, quorum tres infra referam.

Neque supervacaneum duco, in hac qualicumque dissertatione, antequam transeam ad exponendas, quas feci, observationes, aliorum omnes eas commemorare, quae mihi, hoc caput conscribenti, innotuerint, easque eodem ordine chronologico, quo traditae sunt, paucis hic illic, ubi opus esset, additis annotationibus reddendas judicavi.

De Koninck Vir clar. in diario *Bulletin Médical Belge, cahier de Janvier* 1836. sequentes observationes palam fecit.

OBSERVATIO PRIMA.

Primis mensis Martis diebus quidam operarius se contulit in nosocomium Lovaniense, quia laborabat febre intermittente tertiana, ad quam depellendam praescribebantur ei viginti grana Sulphatis Quininae. Quum autem febris huic dosi non cessavisset, majores Sulphatis Quininae doses praescripserant. Tandem ad dosin triginta quinque granorum pervenerunt. Quum febris nihilominus perseveraret, applicatae sunt cucurbitae et siccae, et cruentae atque intus praescriptum est Hydrochloras Ammoniae, in decocto Corticis Peruviani solutum; sed haec omnia sine ullo fuerunt fructu.

Clar. de Koninck, quum hoc in casu experiendi gratia adhibere vellet Phloridzinen, eam sequenti modo praescripsit:

RC. Phloridzines gr. x
Sacch. albiss. dr. ½
Divid in quatuor partes aequales, quarum prima horâ ante paroxysmum, secunda una quadranti horae parte post, tertia interposito simili temporis spatio, quarta denique horâ, quâ febris paroxysmus solebat accedere, sumebatur.

Febris et mitigata erat et quinque horas postposuerat. Quare sequenti die ei iterum praescripta est Phloridzine ac quidem hoc modo:

RC. Phloridzines gr. xiv.
Sacch. alb. dr. j.
M. F. pulv. No. vi.

Sumatur singulis horis ante paroxysmum pulvis. Haec Phloridzines quantitas una vice sumta est, quandoquidem aeger existimabat, majorem effectum a remedio praescripto obtineri, si una ingestum esset, quam si eo modo, quem praescripserat de Koninck.

Spes eum non fefellit, quippe febris huic soli dosi Phloridzines cessavit.

OBSERVATIO SECUNDA.

Doctiss. Hanet gravidae, quae per aliquot dies jam febre laboraverat intermittente, praescripsit Phloridzinen. Grana decem ei suffecerunt ad febrem depellendam.

Etiam aliis in casibus febrium intermittentium Vir ille doctissimus hoc remedio optimos obtinuit successus.

OBSERVATIO TERTIA.

Doctissimi van Leeuw, medicinam factitantis Huldenbergae, auxilium imploratum est a Catharina Kaijaert, foemina triginta et sex annorum, temperamento nervoso-sanguineo.

Querebatur, se ante quinque annos febre laborasse intermittenti, primo tertiana, deinde autem quotidianâ, eaque haud facile liberatam fuisse; atque

sequentibus annis, vere ineunte, eadem sese correptam fuisse. Singulis vicibus febris non, nisi postquam per aliquod tempus perseveraverat, adhibitis remediis, cessaverat. Anno 1835, die vigesimo quarto Aprilis, iterum hora nonâ matutinâ ei febris accessio fiebat, quae redibat die vigesimo sexto ejusdem mensis. Die vigesimo octavo circa horam septimam matutinam sumpsit decem grana Phloridzines, cum uno drachmate sacchari commixta.

Quae quantitas sufficiens erat ad expellendam febrem.

OBSERVATIO QUARTA.

Doctiss. van Leeuw etiam in sequenti casu Phloridzinen felici cum eventu adhibuit.

Famulus quidam jam per aliquod tempus laboraverat febre intermittente quotidiana, quae neque Sulphate Quininae, neque alio Corticis Peruviani praeparato tolli potuerat. Vir doctiss. igitur ei dedit grana octo Phloridzines sumenda. Quum autem nihilominus febris perseveraret, ei praescripsit sequentem formulam:

RC. Phloridzines gr. vi.
Sulphat. Quinin. gr. x.
Sacch. albiss. dr. j.
M. F. pulv. numero octo.
S. O. bihor. pulv.

Quo factum, ut febris 10 horas postponeret. Quare subsequenti die idem iterabatur. Neque illo die, neque postea febris aegrum iterum invasit.

Felix autem successus, quem habuerunt ea experimenta, me, ut jam in introductione monui, incitarunt, ut ipse Phloridzines periculum facerem. In diario *Bulletin Médical Belge* N° 10 anni praeteriti quinque reperiuntur observationes, in quibus febrem intermittentem depulit ope Phloridzines Vir clar. van Mons.

Quanquam in iis observationibus multa desiderantur, quae abesse aegre ferimus, eae tamen abunde Phloridzines vim febrifugam ostendere videntur. Ab erudito et magnae spei adolescente Mathysen communicatae sunt, quas hîc subjiciemus.

OBSERVATIO PRIMA.

Catharina Sneyers die decimo tertio Maji anni 1836 in nosocomium Bruxellense recepta est. Per quatuor jam septimanas laboraverat febre intermittente quotidiana.

Die decimo quarto ei data sunt grana sedecim Phloridzines, quatuor in pulveres divisa, quibus sumptis febris evanuit. Ad recidivam avertendam tribus sequentibus diebus aliquot grana sumpsit.

OBSERVATIO SECUNDA.

Catharina Duray, triginta et sex annos nata, per novem menses febre laborarat intermittente tertianâ. Hoc temporis spatio bis vel ter per paucos tantum dies ab ea liberata fuerat.

Die duodecimo Maji 1836 in nosocomium venit. Febris complicata erat irritatione gastricâ. Van Mons, Vir clarissimus, in clysma Phloridzinen praescripsit. Grana viginti et quatuor in tribus clysmatibus ei data sunt. Febris quum mitigata tantummodo esset, ei, duobus diebus post, eadem Phloridzines quantitas eodem modo data est. Quo facto, febre omnino liberata est.

OBSERVATIO TERTIA.

Maria Balancourt, annos agens undecim, die vigesimo quinto ejusdem mensis, quod febre intermittente tertiana correpta esset, in nosocomium recipitur. Quatuor septimanas ei jam molestus fuerat morbus.

Die 26 Maji duodecim grana Phloridzines quanquam sumpserat, febrem tamen retinebat.

Die ej. M. 28, eadem Phloridzines quantitas praescribebatur; febris accessio ei nihilominus fuit.

Die 30 Maji, dosi sedecim granorum febris cessit. Bis vel ter, minori tamen dosi, ad curam firmandam Phloridzinen sumpsit.

OBSERVATIO QUARTA.

Petrus de Langhe, viginti septem annos natus, die 30 Maji se contulit in nosocomium. Quinque septimanas febris intermittens quotidiana eum molestaverat.

Sumenda ei data sunt grana quindecim Phloridzines. Nullus eo die paroxysmus obtinuit. Sequenti autem die tantum duodecim grana quum sumpsisset, febris rediit. Augendo autem Phloridzines dosin ad grana octodecim aeger sanitati restitutus est.

OBSERVATIO QUINTA.

Johanna Boduin, septuaginta et duos annos nata, ante hebdomadem febre correpta est intermittenti tertiana. Quindecim grana Phloridzines hic sufficiebant ad febrem tollendam.

Hae ergo sunt historiae morborum, quas ex diariis medicis colligere mihi licuit. Humanitati autem Doct. Quarin Willemier, alias quasdam observationes, quas meo quidem rogatu instituere voluit, gratas refero. Hic enim Vir doct, qui in Nosocomio militari Rheno-Trajectino, quod informandis medicis militaribus in Belgio Septentrionali inservit, *et* docendi munere fungitur, *et* sectionis cujusdam aegrorum, morbis internis laborantium, curam gerit, opportuna hac occasione usus est, ut Phloridzines vim experiretur in depellendis febribus intermittentibus. Quos autem mecum communicavit, casus, ad argumentum nostrum referendi, sequentes sunt.

OBSERVATIO PRIMA.

Hendrik Verhaar, undeviginti annos habens, ex provinciâ Ultrajectinâ, lymphatico sanguineo

temperamento, debili corporis constitutione, antea ex opere rustico vivens, hodieque militans in Divisione nonà, vix relicto nosocomio ac recuperata valetudine, laboraverat enim febre tertiana, iterum, ineunte mense Decembri coactus est capitis ac ventriculi dolore eodem redire, ubi mox potio oxymellata ei praescripta est.

Die sextimo Decembris de crebra tussi et ore sicco conquestus est. Lingua albo muco obsessa, capitis ac ventriculi dolor sedatus.

Die septimo ejusdem mensis thoracem a latere dextro dolere significavit; idque tam movendo brachio dextro, quam respirando et tussiendo augeri. Praescribebatur ei potio diaphoretica: externe cataplasmata adhibebantur.

Die octavo, praeter symptomata supra memorata, etiam se dorso dolere dixit; pulsus plenus et durus. Praescribebatur:

RC. Dec. Alth. libr. 1.
Nitr. potass. dr. 1½.
Sacch. albiss. unc. 1.
M. F. potio.

ac simul venae sectio instituebatur unciarum octo.

Die nono totam noctem singultiendo, tussiendo ac summâ anxietate transegerat; enisus simul, ut de lecto surgeret. Lingua sicca et muco obsessa; sanguis, e vena emissus, crusta obtectus inflammatoria. Quamvis aegrotans die decimo octavo Januarii 1837 in meliori conditione versaretur, continuae tamen debilitati fuit ac praeterea febri intermittenti obnoxius.

Quapropter sequens ei praescribitur formula:

RC. Phloridzines. gr. x.
Sacch. alb. dr. II.
M. F. pulv. No. XII.
S. O. H. pulv.

Deinde, cedente febre, die decimo quinto Februarii nosocomium reliquit sanitati restitutus.

OBSERVATIO SECUNDA.

Jacobus Blok, annorum viginti et unius, ex Soeterwouda in Hollandia Meridionali oriundus, antea apud laterum coctorem operarius ac nunc miles in Divisione nonâ. Erat sanguineo temperamento firmaque constitutione. Tribus autem postremis mensibus (Septembri, Octobri et Novembri) ob febrem intermittentem curatus est. Quae postquam bis eum reliquit, eodem typo die vigesimo primo Decembris rediit.

Quo factum est, ut denno se in nosocomium contulerit. Quum vero catarrhali affectione faucium laboraret, potio oxymellata ei porrecta est, una cum gargarismate sequenti:

RC. Dec. Alth. unc. XII.
Mell. comm. unc. I.
M. D.S. pro gargarismate.

Vigesimo octavo Decembris iterum accessit febris: vehementiora, quam antea, erant symptomata.

Die trigesimo ejusdem mensis Phloridzine hoc quidem modo ei praescripta est:

RC. Phloridzines. gr. x.
Sacch. albiss. dr. I.

Div. in VI partes aequales,
S. ante paroxysmum.

Ultimo die Decembris iterum quidem adfuit febris, sed valde mitigata.

Deinde plane evanuit, usque ad vigesimum tertium Februarii, quo die febrilis apparuit paroxysmus; sed, ab eo inde die, febre plane liberatus pristinaeque restitutus valetudini, decimo die Aprilis nosocomio egressus est.

Etiam hoc in casu Phloridzines vis antiperiodica apparet. Nam, quod febris non statim post sumptam Phloridzinen cesserit, ex eo certe nemo concludet, aegrotum revaluisse aliis ex causis, ac praescriptà Phloridzine.

Meà quidem opinione, is casus juxta eos collocari debet, in quibus vis antiperiodica Phloridzines probata est.

Denique ad calcem harum observationum historiam morbi referre liceat, quam eidem Viro doct. debeo, etiamsi ad vim febrifugam Phloridzines confirmandam per se non magnopere faciat. Scilicet scopo potius prophylactico in hoc casu remedium nostrum praescriptum fuisse videtur.

OBSERVATIO TERTIA.

Johannes Fritz, annos viginti unum natus, Amstelodamo oriundus, antea sutor, nunc miles Divisionis decimae, temperamento lymphatico, debili constitutione, juvenis saepius febribus laboravit.

Mense Majo 1836 febre intermittente quartanà

correptus, in nosocomium Brielae se contulit, ubi febre liberatus est.

Die septimo Januarii hujus anni, quum jam per quatuor septimanas febrem habuisset, in Ultrajectinum nosocomium militare missus est, statimque potio oxymellata ibidem ei praescripta.

Die octavo Januarii horâ sextâ vespere febrilis paroxysmus ei erat, per breve tamen tempus durans. Post id tempus paulatim revaluit. Subinde autem quaedam symptomata febris quum existerent, a die vigesimo tertio usque ad diem vigesimum sextum Phloridzine ei praescripta est. Tandem sequenti mense, die decimo quinto, recuperata valetudine, nosocomium reliquit.

Iis, quas dedimus, observationibus plures subjunxissem, si mihi facultas fuisset. Sed varia hac in causa mihi obstiterunt impedimenta. Veruntamen non ad relatas historias restringitur Phloridzines usus. Ita, intercedente Viro clar. de Koninck, excerptum mihi legere contigit ex observationibus, quas de hujus remedii vi febrifuga Antverpiae instituerat Doct. Hanegraeff. Haec quidem experimenta pro magna parte bene cesserunt; attamen doct. Auctor in casibus quibusdam spe frustratus fuit, quod irritationi ventriculi adscribit. Phloridzinen autem in tali causa num clysmatum forma adhibere tentavit, ignoro, quandoquidem hujus rei in excerpto non fiat mentio. Communicavit Vir doct. summam 87 observationum cum Societate medica Gandavensi, quae eas dignas cen-

suit, ut in suo diario *(Bulletin)* referrentur. Hoc tamen hucusque accipere non contigit. Antverpiae autem ad eam laudem jam pervenit Phloridzine, ut Administratio, quae pauperum aegrotantium curam gerit, suis sumtibus illam praeparandam curaverit.

Etiam Versaliis novi medicamenti ad depellendas intermittentes periculum factum fuit. Quum autem eae observationes nondum ad me pervenerint, nihil de iis memorare possim; nisi quod et illic medicorum exspectationem non fefellerit Phloridzine.

CAPUT IV.

EXPERIMENTA NOSTRA DE PHLORIDZINES EFFICACIA AD DEPELLENDAS FEBRES INTERMITTENTES.

Morbos in multis casibus post aliquod temporis spatium cessare, etiamsi aegris potentia nocens efficax esse perseveret, negari nullo modo potest. Nec minus confitendum est, medicos saepius proverbio *post hoc, ergo propter hoc* pro axiomate uti. Multa hic, quibus illud probari potest, afferri possunt exempla, sed unum sufficiat.

Multa scilicet fuere remedia, quorum vis initio, vel paulo post quam detecta essent, vel etiam serius mira medicis habebatur, dum tamen, procedente tempore, plurimum aberat, ut hanc exspectationem confirmarent. Quaeri sane potest, quid tandem hujus rei causa sit? Nonne saepe in eo quaerenda est, quod medicamen, usu probandum, ibi praescriberetur, ubi *aut* sanitas sine eo restaurata fuisset, *aut* ubi una cum eo causae efficaces essent non observatae, vel minoris momenti habitae, quibus curatio obtinuit; quapropter, quas non meruit, remedio tribuuntur laudes.

In nulla morborum classe tam multa fortasse hujusmodi remedia, naturâ suâ discrepantia, commendata sunt, quam in febribus intermittentibus.

Primo intuitu id fortasse absurdum apparebit; sed, si et in modos attentius inquiramus, quibus experimenta facta et collecta sunt, quae probent, hoc vel illud remedium tanquam antiperiodicum proferendum esse, facile hujus rei causas conjectari licet. Via enim, quam eos ingredi videmus, qui nova et tanquam antiperiodica commendata experturi sunt medicamina, saepius haud ita apta est ad *hoc*, quod *post* remedium adhibitum accidit ab *eo*, quod *per* illud efficitur, distinguendum. In nullis morbis curationes spontaneae, ut dicunt, sive potius, quarum causae latent, crebriores. Multorum enim usu et experientia levior animi affectus, exigua diaetae mutatio, semotio rei cujusdam, quae aegro, priusquam in morbum inciderat, penitus innoxia esse videbatur, satis erant ad febrem praesentem tollendam. Intermittentes, prouti alios morbos, agente nostri corporis organismo cessare, et magni momenti esse, amovere eas causas, quibus febres fiant, quibusque depulsis febres evanescant, supervacaneum, opinor, est copiosius explanare.

Quae cum ita sint, in experimentis, ope Phloridzines instituendis, quoad fieri potest, ea omnia evitanda judicavi, quae me in errorem ducerent, et quibus fieret, ut facta non bene observata colligerem, aut temere inde argumenta sumerem.

Quare non melius me facere posse putavi, quam ut consilia, quae Vir clar. A. F. Chomel imper-

tit in *Observationibus de Ilice aquifolia, in febribus intermittentibus adhibita*, et M. Julii 1833 cum Academia regia medicinae Parisiensi communicatis, praesertim ante oculos haberemus.

Quanquam longe abest, ut nobis persuadeamus, nostras observationes tales esse, ut nihil contradici queat, id tamen semper nobis propositum (tum certe quum nobis liceret) habuimus, ut quae fuerint causae phaenomenorum in aegris, de quibus infra sermo erit, indicare potuerimus, ne unquam Phloridzinae vim attribueremus, quam non exercuisset; cujus rei causa, sequentia in adhibenda Phloridzine observari debent.

Si aliqua mutatio in regenda vita, vel aliquod medicamen a nobis praescribi deberet, aegrotantes per aliquot dies observavimus, ut de vi et efficacia, quae adhibendis istis medicaminibus ac diaetae mutatione ad febrem levandam vel augendam fieret, nullum amplius dubium suboriretur.

Nunquam Phloridzinen adhibebamus, aliis quibusdam rebus conjunctam, nisi saccharo.

Aegrotantes nunquam de vi, quam Phloridzine, ex nostra opinione haberet, certiores reddebamus; neque unquam hoc remedium tum praescribebamus, quum paroxysmi febriles continue minuerentur.

Non semel unum pluresve sacchari pulveres nonnullis dabamus, ut tum, quum effectus Phloridzines conjicerent aegri, vim imaginationis in eos observare possemus. Quum igitur istos pulveres sacchari consumerent, quin effectum in febrim haberent, ita etiam postea pulveres, in quibus inesset

Phloridzine, actione febrifuga carentes considerabant; unde consequitur, febrium post usum Phloridzines cessationem in hoc casu nunquam imaginationi attribui posse.

Triginta et duas observationes fecimus in insula Valacria; quarum quindecim ad rusticos et plerumque homines inferioris ordinis pertinent, utpote qui magis expositi sunt potentiis nocentibus ac minus occasione utuntur, sese ab earum injuria defendendi. Eorum novem ope Phloridzines curavi; in reliquis autem febrim, Phloridzinae non cedentem, superavimus, adhibito Laudano liquido Sydenh. Earum observationum, quas in nosocomio militari Verae institui, summam tandum designabo, quoniam nulla earum, excepta una, quae ordine est ultima, habet, in quod speciatim inquiramus.

OBSERVATIO PRIMA.

Foemina quaedam, nomine A. Dutroye, annos nata viginti sex, jam sex menses quartana duplicata laborabat; erat lymphatica constitutione et hypertrophia lienis laborabat. Die 20 Decembris eam visebam. Querebatur de continuo sensu molesto abdominis, praesertim circa lienem, valde tumentem et induratum, qui vel leni pressione dolore afficiebatur. Menstrua quoque per totidem menses cessaverant; caeterum nil observabatur; respiratio, digestio et organa motus, omnia a solito statu recedere non videbantur. Postridie, tempore meridiano, lecto eam affixam vidi, pulsu contracto et accelerato, cuti fri-

gida. Interroganti mihi, quadrante fere hora ante febre sese correptam respondit, ac nunc capite dolere, idque, quoties in febrim incideret, locum habere. Stadium frigoris omnino horam quadrante minorem durabat.

Vespertino tempore horâ sexta: calida cutis, mollis, nec magnus pulsus erat. Se nunquam vehementer sudare affirmabat, neque febrim prius se relinquere, quam ad horam octavam.

Die 23 Dec. febre correpta erat circa horam meridianam, neque tamen hodie nisi horrores vagos febriles habebat cum dolore capitis et siti. Semihorâ post, pulsus adhuc erat acceleratus contractusque, neque aegra, ut alias, ita hodie lecto tenebatur.

Postridie ita sese habebat, ut die 21; lingua humida, lata, neque multo muco obducta. 25 Dec. dabam ei VIII gr. Phloridzines in pulvere, quem sumebat hora XI. Duas horas postposuit febris, eadem tamen vehementia ac perseverantia servata.

Die 26 ejusdem mensis, eadem horâ eandem quantitatem Phloridzines sumebat: per semihoram postposuit febris; incidit aliquomodo minus vehemens. Aegra enim non capitis dolore, sed siti tantum laborabat; pulsus tamen, durante paroxysmo, admodum acceleratus erat.

Die 28, hora 2 totidem Phloridzines porrigebam. Febris hodie mitior, licet eadem hora, qua die 25 apparuisset.

Die 29 eandem dedi quantitatem Phloridzines, sed loco horae 12, horâ 1 sumendam, neque nisi acceleratio exigua pulsus observabatur. Ultimo

die hujus mensis eandem Phloridzines quantitatem, quam die 26, praescripsi, ut hora prima meridiana sumeretur; quo febris, quae hodie ad horam 4 post meridianam inciderat, mitissima erat.

Die 1 Januarii hujus anni, eadem horà eandem dosin Phloridzines ut heri sumsit, nullo febrili motu affecta est, per totum diem bene habuit. Die tamen 3° et 4° XVI gr. Phloridzines sumenda curavimus, quo factum est, ut, neque iis diebus, nec postea aegra febre sit correpta. Die 5° Januarii nullum aliud valetudinis incommodum ei remansit, nisi hypertrophia lienis et amenorrhoea. Quum autem haec praecedentibus etiam annis per aliquot menses, (quanquam liberos non lactaret), post singulos partus, (qualis quoque ante hos septem menses locum habuerat), observaretur, praeterea hypertrophia lienis post apparitionem febris orta esset, et dolore semper molestaret, hanc prius esse tractandam judicavi, quippe qua remota, etiam via pateret ad amenorrhoeam tollendam.

Cataplasmata externe adhibui ac postea frictiones cum ung. hydrargyri; tandem, quum ne leviori quidem pressione lien doleret, praescripsi murias ferri ammoniacale, purgantibus conjunctum et resolventibus; quo factum est, ut aegrota eatenus convalesceret, ut, exeunte mense Februario hujus anni, nihil nisi leniorem lienis tumefactionem sentiens, ulterius medicina abstinere ausa sit.

Qua ex observatione extra omne dubium ponitur, Phloridzines esse vim antiperiodicam. Nihilominus

quantitatem, quam praescripsimus, (88 gr.) Phloridzines nimiam esse judicamus; quod si enim primam dosin Phloridzines ad xx vel xxx gr. auxissem pro VIII, celerius fortasse, quod spectabam, consecutus essem et, qua opus erat, Phloridzines quantitas multo fuisset minor.

Fortasse aliquis objiciet, quod, si sulphas quininae praescripissemus, aegra aeque bene et celerius convaluisset, multo minori quantitate sulphatis quininae adhibitâ. Neque id negare volumus; sed ponendum tamen, praescribendo sulphate quininae non semper acquiesci posse in febribus quartanis, neque quantitatem sulphatis quininae, qua hic opus est, semper minorem esse, quam eam, quam in hac observatione dedimus, quantitatem Phloridzines, febremque, etiamsi postea purgantia largius adhibuerimus, non amplius sese ostendisse.

Omnibus harum rerum peritis notum est, eos, qui febre intermittente liberati sunt, si in eadem conditione maneant, in qua antea fuerint, iterum in febrem facile incidere posse, adeo ut, ne quinina quidem, constantique usu corticis, postquam in sanitatem restituti sint, a febre defenderentur, quam Phloridzine tamen averti posse, mihi quidem sequentibus casibus apparuit.

OBSERVATIO SECUNDA.

L. Knuit, annos 20 nata, quaesta est, 4 Decembris anni 1836, se tribus abhinc annis quartana laborasse duplici. Eodem fere tempore, quo

menstrua habebat, in puteum cecidit. Quamvis hoc casu terrefacta esset, per duos tamen dies menstrua fluere pergebant; sed ab hoc inde tempore cessarunt, unde in febrem, quam supra dixi, incidit. Huic initio ars, sed frustra, occurrit, cujus rei causa in hoc fortasse ponenda est, quod in ea esset conditione, ut continuatae medicorum curae sese submittere non posset. Postea, et quidem initio anni 1836, a Viro peritissimo et amicissimo Van Opdorp per aliquot dies curata est. Is autem, praemissa curatione, qua organismus aptior fieret quinina utendo, sulphatem quininae praescripsit; quo febris cessavit; deinde conditum corticis dedit, ita ut quotidie binas drachmas corticis sumere pergeret. Nihilominus post aliquot dies febrem iterum contraxit, quae, licet denuo sulphati quininae cederet, menstrua quidem, sed non abundanter fluerent, idemque conditum iterum praescriberetur, duplicata corticis dosi, duabus tamen hebdomadibus elapsis, iterum apparuit.

Quum igitur nullam utilitatem deinceps speraret aegra ex arte medicâ, continua febre laborare coepit, adeo ut, quae antea, si ex verbis ejus quid concludere licet, temperamenti sanguinei, jam nunc lymphatici plane esset. Viscera abdominis fere omnia in statu normali versari videbantur, quamvis ex amenorrhoea satis nobis appareret, organa generationis aliqua ex parte affecta fuisse. Septimo mensis Decembris octo grana Phloridzines, hora ante paroxysmum sumenda, ei dedi. Hodie febris postpo-

suit et mitior fuit. Sequenti die, in quem paroxysmus primarius incidebat, denuo hora ante ejus adventum grana duodecim sumenda praescripsi. Hinc febris aliquanto minus, quam heri mitigata erat. Die 10 ejusdem mensis, iterum totidem grana Phloridzines sumsit aegra; eandemque quantitatem in sequentem diem, qui erat undecimus, mandavi. Utraque quantitate hora ante tempus, quo paroxysmus die septimo et octavo accesserat, usa est, eo quidem effectu, ut mecum die duodecimo communicaret, se nihil fere, nisi quandam horripilationem sensisse, quare quantitatem Phloridzines ad octo grana reduxi, binis diebus subsequentibus sumenda. Die 15 Decembris, in sequentes quaternos dies febriles duodecim grana dedi, i. e. singulis diebus tria grana, hora ante eam, qua febris paroxysmus ordiri solebat.

Medio mense Januario ingrato sensu affectam se animadvertebat diebus, quibus antea accidebant paroxysmi, sed, quoniam pulsus nullo modo accelararetur, nihil amplius ei dedi.

Prius ei adversus amenorrhoeam emmenagoga usitatiora praescripta fuerant. Ego vero viam illorum Practicorum, qui febrem pertinaciorem non nisi postquam menstrua fluxissent, cum fructu posse curari censerent, non ingressus sum; sed constitui, ut prius febrim tollerem ac postea amenorrhoeam debellarem.

Causae autem, quare ita agerem, hae sunt:

1°. Febris amenorrhaeae praecesserat.

2°. Vir expertissimus van Opdorp, amota febre menstrua apparere animadverterat, et

3°. Quamquam haec visa fuerant, aegra tamen in febrem reciderat, atque exinde menstrua fluere destiterant.

4°. Quoniam quae antea a medicis, quibus amenorrhoea quasi idiopathica habita fuerat, ei praescripta fuerant, emmenagoga optatum eventum non assecuta erant.

5°. Neque erat mihi, cur, quum febris post usum Phloridzines celeriter cessaret, viam, quam ingressus eram, relinquerem. Sed alia quaestio apud me orta erat: quaerebam enim, quodnam remedium hac in re indicatum esset. Quum mensium turbatio cum febre arcte conjuncta esse videretur, neque sine veri specie a Viro doctiss. Brachet et aliis contendatur, systema ganglionosum istius perturbationis, qua febris existit, esse sedem, ac nostra opinio esset, ex analogia plexui hypogastrico haud exiguam adscribi debere vim in functiones uteri, ideoque non omni verisimilitudine carere judicabamus, amenorrhoeae causam in conditione istius plexus anormali esse ponendam. Quare hac in re nullum emmenagogum inveniri posse aptius credidi, quam ejus modi, quod constat, inprimis agere in systema nervosum, quale extractum aconiti esse reperi, quod West, Vir. doctiss., in diario *Archives génér. de médecine. 2e. Série. tome 8 pag. 428 et suiv.*, tanquam emmenagogon commendavit. Aegram tamen die decimo sexto Decembris observare utile duxi, quandoquidem for-

tasse, febre jam tum cessante, natura sine remediis menstruorum apparitionem efficere potuisset.

Die tamen decimo sexto Decembris, menstruis non fluentibus, atque aegra tertia quavis hebdomade menstrua habere solita, die 4° Januarii 1837 ei praescripsi:

RC. Extr. Aconiti. gr. 15.
Succ. inspiss. liquir. dr. ½.
M. F. pil. N°. 15.

Quarum quindecim pilularum die quarto ejusdem mensis unam, quinto duas, sexto tres, septimo quatuor, et octavo denique quinque sumsit. Hujus remedii hic erat effectus, ut tempore vespertino octavi diei et per totum sequentem diem menses sequerentur, quamquam exigua quantitate.

Die 25 ejusdem mensis easdem pilulas eadem quantitate praescripsi, quas eodem, quo supra, modo eodemque eventu sumsit, nisi quod menstrua jam copiosius fluerent a die vigesimo nono Januarii per tres integros dies. Die duo de vigesimo mensis Februarii lumbis dolere se significabat, qui dolor quum die vigesimo cessavisset, neque menstrua amplius apparerent, hoc ipso die sequentem praescripsi formulam:

RC. Extr. Aconiti. gr. VI.
F. pil. N°. 2.

Sum. hora meridiana pilula, et hora vespertina sexta altera.

Die vigesimo quinto aegra mihi significavit, menstrua, nocte, quae vigesimum primum ejusdem mensis diem praecessit, erupisse, et duobus

sequentibus diebus aeque abundanter atque antea fluxisse.

Deinde, quum aliis negotiis prohiberer, quominus eam viserem iis temporibus, quibus menstruatio locum haberet, suasi, ut, menstruis statuto tempore non apparentibus, ejusmodi pilulas, quas die vigesimo Februarii praescripseram, parari sibi juberet.

Hunc casum aliquantulum prolixius communicandum esse putavi, tum quia in eo antiperiodica vis Phloridzines observabatur, tum vero etiam quod in eo talia accidebant, quibus extr. aconiti ad emmenagoga referendum esse patebat. Saltem hunc casum iter eis collocandum puto, quos West, in diario supra laudato, retulit.

Ut ut est, observationes reliquas, quas cum extracto aconiti fecerim, nunc referre nolui quum hucusque nondum multae sint, sed postea fortasse, experimentis compluribus factis, a me communicabuntur. Tum etiam me ad quaestionem melius respondere posse confido, in quibusnam casibus extr. aconiti tanquam emmenagogum sit commendandum; et quomodo vis ejus explicanda sit.

Hac autem in observatione notatu dignum est, quod aegra, postquam intermittens quininae cessisset, non obstante usu continuato corticis, bis in febrim recideret; Phloridzine vero liberata, non amplius posthac eam habuerit. Quod omnino Phloridzinae tribuendum esse credo poni posse, quandoquidem neque de salubri temperie, neque de alia quadam causa cogitandum sit. Locus

enim, in quo aegra versabatur, postulabat alimenta viliora; ea porro, quibus se adversus ingratam temperiem tegeret, tam exigua erant, ut, etiamsi non ope Phloridzines valetudinem recuperavisset, id, mea quidem opnione, non minori ipsius hujus remedii efficaciae, sed potius aegrae conditioni esset tribuendum. Itaque utilitas Phloridzines eo magis ex hoc casu comprobari debet.

Quantitatem quod attinet (78 gr.) quam praescripsi, non quidem exigua dici potest; sed quis contendat, eadem quantitate quininae eundem eventum consequi potuisse? Adde, quod ex iis, quae praecesserant, tute concludere licet, non omnino verisimilitudine carere, aegram ope quininae fortasse nunquam ita ad sanitatem potuisse restitui, ut deinceps non iterum rediisset febris, nisi doses valde auctae et per aliquot septimanas essent continuatae.

Sequentem casum, quem propterea cum praecedenti conjungendum putavi, quod pertinacia febris valde inter se conveniunt, in medium afferri debere judico ad comprobandum, quod in priori observatione jam a me observatum est: majorem vim scilicet inesse in Phloridzine, ubi magnà dosí praescribitur, quam simul eadem quantitate in minores divisa doses.

OBSERVATIO TERTIA.

A. de Bruin, annum agens trigesimum, paupera, sed illius tamen conditionis, ut aliquantulum a causis nocentibus cavere posset, nihilominus mense Majo 1836 in tertianam incidit, quae sequenti mense, sumtis quidem duodecim Sulphat. Quininae granis, cessit, sed mense Septembri rediit. Iterum aliquot doses Sulphatis Quininae praescribuntur, additis, cedente febri, aliquot granis ejusdem remedii, in pilulis, adeo ut quotidie tria grana hujus remedii sumeret.

Attamen rediit febris, quare primis diebus mensis Octobris major quantitas Sulphatis Quinin., grana scilicet viginti, dabatur. Cessante nunc febre, conditum corticis, quo quantitatem ½ unc. corticis ferme quotidie sumeret, praescriptum est; id quod per 14 dies et amplius continuavit. Quamvis post hos dies id omiserit, per aliquot septimanas febre non laboravit, quae vero initio mensis Decembris rediit. Quum igitur videret, se medicorum ope parum profecisse, deterrita est deinceps a sumtibus faciendis et integrum mensem alternis diebus et eadem ferme horâ febrem reverti vidit.

Jam ad eam me contuli die 13 Januarii hujus anni ad horam duodecimam ante meridianam. Paucis momentis ante undecimam se febrem nactam, stadiumque frigoris, uti antea, non nisi semihoram durasse narrabat, et, me praesente, jam in initio stadii sudoris versabatur. Quum autem neque in conditione digestionis organorum, nec in oeconomia ani-

mali aegrotantis quandam animadverterem contraindicationem, die 15 Januarii ei praescripsi:

RC. Phloridzines. gr. XXVI.
Sacch. albiss. dr. ½
M. F. pulv.
S. hora nona.

Aegrotans hora decima remedium sumsit et febris semihoram postposuit; sed multo vehementior erat, quam in anterioribus paroxysmis; ex quo mihi persuasi, die 17 Januarii nil praescribendum esse, quoniam observare vellem, quid eo die, Phloridzine non praescripta, accideret.

Die 17 Januarii hora prima meridiana febris accessit, valde mitigata erat. Die 19, quo similiter nihil ei praescribebam, febris prorsus non apparuit. Sequenti autem die ei praescripsi:

RC. Phloridzines. gr. XIV.
Sacch. Albiss. dr. II.
M. F. pulv. VII.

Quorum diebus febrilibus hora X antemeridianâ pulverem sumeret.

Deinde febris non rediit, neque mihi videbatur, fore ut aegrota, si bene sibi caveret, deinceps in febrem incideret, praesertim, quum jam duo menses elapsi sint, ex quo ne motum quidem febrilem sese sensisse dixerit.

Die 17 Januarii nihil praescripsi, quod nonnullos jam observaveram febre, quae Phloridzine tantum valde mitigata erat, etiamsi remedio non amplius uterentur, brevi post liberatos esse.

Quo magis confirmetur, Phloridzinen non esse

sine vi et efficacia, etiam sequentem casum in medium afferre audeo.

OBSERVATIO QUARTA.

A. den Babbelaar, robusto corpore et sanguineo temperamento, annos agens 47, de plebe homo pauper, intemperanter data occasione, vivens, genioque plus aequo, ut in hujusmodi hominibus solet, indulgens.

Die octavo mensis Decembris, quo eum primum visi, querebatur, se quatuor abhinc mensibus intermittenti laborare, quae initio quidem quotidiana, sed ante tres menses in tertianam mutata fuit. Ea secundo mense stata hora nunquam acciderat; sed a tertio et quarto mense accessio febris continuo alternis diebus hora decima mane ordiebatur.

Eo die, quo me ad eum contuli, qui erat febrilis, in stadio sudoris versabatur; lingua in medio muco albido obsessa, apex et margines fulvo colore, lata porro, glabra et humida. Epigastrium levi pressione dolebat. Se vero cibi appetitu semper carere et sapore mucoso esse dicebat. Pulsus mollior, acceleratus, nec valde plenus ac facies aegri corpus indicabat labefactum.

Postridie hoc eo magis animadverti; pulsus tum erat mollis, parvus et paululum acceleratus, caeterum in eadem conditione, qua heri; deinceps calor naturalis et, quae in pectoris cavitate recon-

dita sunt, organa sana; sed abdomen, inprimis autem canalis cibarius, aegrotare mihi videbantur. Quamvis ita essent, sequentem formulam praescripsi, die decimo sumendam:

RC. Phloridzines. gr. XVI.
Sacch. Albiss. dr. ½
S. hor IX ante meridiem

10 Dec. febris fere non erat modificata.

Ea autem de causa Phloridzinen praescripseram, ut experirer, an vis Phloridzines morbosa conditione ventriculi impediretur; quod cum revera accideret statum morbosum ventriculi prius tollendum esse putavi, quo facto, si febris nihilominus perseveraret, iterum Phloridzinen adhibendam censui. Praeterea aegrum diaetam servare jussi. Potus emollientes, quos subinde cum purganti salino mutavi, ei adjunxi. Externe regionem epigastricam Unguento Autenriethii fricandam curavi. Haec omnia quatuordecim dies continuabantur. Exinde lingua pura evasit, atque pulsus extra paroxysmum accelerari desiit. Aeger, ut verbo dicam, praeter febrim et sensum quemdam molestum membrorum, bene se habebat.

Febris jam nunc circa horam undecimam quidem accessit, sed minus vehemens quam antea. Verum, quamquam aegrotantem bene sibi ab omnibus causis nocentibus cavere juberem, et ad secundum diem Januarii usque hujus anni sibi ipsi reliquissem, tamen querebatur, tantum abesse, ut febris mitigaretur, ut potius quovis paroxysmo paululum augeri videretur.

Die tertio Januarii ad horam decimam matutinam,

ut quatuordecim granis Phloridzines uteretur, constitui.

Die 5 Jan., quamvis tertio Januarii die febris accessio admodum exigua fuisset, nihilominus hoc die eandem Phloridzines quantitatem praescripsi. Quo factum est, ut febris, neque eo die, neque serius, duobus postremis scilicet mensibus, quibus eum visi, appareret. Quum mense Februario intemperantià iterum canalis cibarius a norma recessisset, eum apta medicatione paucis diebus in pristinam normam restitui.

Quanquam non nego, hunc casum per se argumento esse non posse, Phloridzinen aegrotantibus, qui magnis canalis cibarii laborant perturbationibus, non oportere praescribi, equidem crediderim, istum juxta eos esse collocandum, qui ad hanc opinionem confirmandam in medium afferri possint. Nam, licet febris post primum usum Phloridzines iterum sese ostendat, tamen plerumque quodammodo hoc remedio modificatur. Id autem ne hoc quidem in casu obtinuit, ubi tamen perturbatione canalis cibarii sublata, quatuordecim grana Phloridzines febrim valde mitigabant et viginti et octo grana Phloridzines sufficiebant ad reditum ejus prohibendum. Quodsi nunc respicimus ea, quae decimo die Decembris 1836, et quae 5 Januarii 1837 acciderunt, ex iis concludere posse credo, majorem esse vim Phloridzines minori dosi sumtae, si nimirum canalis cibarius non valde turbatus sit, quam in aegro, qui hujusmodi perturbatione non careat. Id

ubique valere, usus jam probasse videtur Animadvertimus modo, ad quas consequentias Doctiss. Hanegraeff et ego pervenimus. Quum illius Viri observationes tum demum cognovi, postquam jam plures observationes feceram, statuerem, etiam in aliis casibus Phloridzinen praescribendam esse, quibus ventriculus male affectus esset, ut certior fierem de vi, quam Phloridzine exerceret in febres intermittentes, irritatione gastrica complicatas. In sequenti autem casu cogebar aliam viam ingredi, scilicet in eo aptâ medicatione organismum, priusquam Phloridzinen adhiberem, praeparavi.

OBSERVATIO QUINTA.

P Dirks, foemina quinquaginta et trium annorum, die decimo tertio Decembris anni superioris me consuluit de febri quartana, qua jam biennium laborabat, ita tamen, ut modo febri liberata esset, modo in eam recidisset. Haec vicissitudo remediis, animi affectibus, inprimis autem temperiei attribuenda esse videbatur. Nunc vehementiores erant paroxysmi, nunc mitiores. In eam duobus mensibus ante reciderat, nec spes erat, fore ut ea prius liberaretur, quam ineunte verno tempore. Scilicet, menses aestivos febre, nisi paucis diebus illis, quibus magna temperaturae mutatio locum haberet, non corripiebatur. Loco febris per illos menses diebus febrilibus dolore lumborum et capitis afficiebatur. Aegra ruri degebat, licet primis, quae ad vitam sus-

tentandam necessaria ducuntur, non indigeret alimentis, tamen multis abstinere et saepe se coeli temperiei exponere cogebatur.

Aegra nunc temperamento erat lymphatico. Anno aetatis quadragesimo septimo menstrua dessiise narrabat, neque exinde ullum sibi morbum fuisse ortum. Emaciata jam erat, perturbata digestio, lien hypertrophia adeo affectus, ut per totum fere latus sinistrum abdominis sese extenderet et valde induratus esset. Antea non nihil doloris in eo senserat, sed nunc absque dolore, etiamsi leviter premeretur, erat. Pulsus extra paroxysmum mollis, tardus, parvus, febre autem durante, acceleratus, mollis, sed minime plenus.

Consilium ei dedi alimenta blanda, eupepta sumendi, eaque non nisi exiguâ quantitate simul, sed frequenter.

Lingua pallida cum esset, plana, humidaque, amara quaedam et resolventia mitiora praescripsi, quorum usu aliquantulum corporis constitutio emendata est. Sed quum febris minime cessaret, id, quod aegrotanti admodum molestum esset et valde noceret, ei 4 die Januarii dedi:

RC. Phloridzines. gr. XVI.
Sacch. albiss. dr. ½
M. F. pulv.

qui die 5 Januarii ante febrim sumatur.

Febris, quae horâ tertia postmeridiana aegram solebat invadere, 5 Januarii tres horas postposuit, multoque mitior, quam antea erat.

Deinde die 7° Januarii totidem grana praescrip-

si, quae postridie sumerentur, ita ut hoc die nullus febris paroxysmus esset.

Conditio aegrae, continuam vitae rationem, quam ei commendaveram, servantis, paulatim emendata est, adeo ut murias ferri ammoniacale haud temere ei sumendum dare auderem. In initio quatuor grana dedi et deinceps duplicata dosi.

Die vigesimo quarto mensis Februarii hypertrophia lienis tantopere erat diminuta, ut ejus desiderio, ne scilicet ulterius medicamina darem, satisfaciendum crederem, praesertim quum pristinam sanitatem prorsus recuperasse videretur.

Observationi, quam dedimus, hoc additum volumus, eam, nostra quidem opinione, invictum esse argumentum, in Phloridzine vim inesse febrifugam. Nam, quamvis febris crebro aegram relinqueret, nil tamen erat nobis, Phloridzinen praescribentibus, quare eam abituram esse speraremus. Vires quidem, ut diximus, usu amarorum quodammodo reficiebantur, sed febris eadem vehementia eodemque modo aegram vexare continuabat. Itaque credimus, hanc postremam observationem juxta superiores collocari licere, tanquam vim Phloridzines febrifugam comprobantem.

OBSERVATIO SEXTA.

Cornelius de Noijer, viginti sex annos natus, rusticus, qui antea subinde febribus laboraverat intermittentibus, die duodecimo mensis Februarii hujus anni paulo post horam decimam, ca-

pite aliquantulum dolere coepit, qui dolor pedetentim augebatur ac tandem vespera circa horam octavam subito evanuit.

Is dolor a sinistro latere occipitis ad nucham usque extendebatur. Dolor erat micans et levi pressione auctus, sed, hac per aliquot momenta continuata, cessabat. Porrigebantur ei leniora diaphoretica ac caput fovere debebat. Pulsus aliquanto magis acceleratus, quo tempore dolor capitis erat, quam mane, antequam accesserat.

Diebus 13, 14, 15, 16 Februarii eâdem fuit conditione, ac dolor in dies magis increscebat. Duobus postremis aegrotus somnolentus factus erat. Digestio ac reliquorum organorum functiones a norma sua non recessisse visae sunt.

Habita ratione doloris, statutis temporibus accedentis, pulsusque accelerationis, porro exiguae, quam aeger ex remediis, sibi praescriptis, ceperat, utilitatis, forte fortuna in mentem mihi venit, an non febris intermittens partialis larvata supponi posset.

Quare die decimo septimo Januarii mane ei praescripsi:

℞. Phlor. gr. xv.
Sacch. alb. dr. ½
M. F. pulv.
S. semihorâ ante decimam.

Dolor, isto die, circa horam quartam post meridiem demum apparebat et semihorâ post evanuit. Praeterea tam levis erat, ut postridie tantum octo grana Phloridzines sumenda praescriberem, sperans

fore, ut ea quantitas hodie sufficeret ad paroxysmum avertendum. Phloridzinen ad horam primam ei porrigi jussi; hoc quidem eventu, ut illum ab eo inde tempore dolorem non amplius sensisse communicaret.

Quum igitur hoc medicamine eventum haud infelicem sortitus essem, factam diagnosin haud parum exinde stabilitam esse existimo; quae praesertim eo nitebatur;

1°. quod aegrotus talem regionem inhabitaret, in quali febres intermittentes endemicae jure censeri possunt.

2°. quod antea febri intermittenti saepius laboravisset.

3°. quod eam plerumque eâdem causâ contraxisset, quâ hic dolor ei subortus erat.

4°. quod modus, quo dolor sese ostenderet, et quo sese haberet, quum locus dolens premeretur, indicaret illum dolorem neuralgiam esse.

5°. Denique maxime persuaserunt, febrem intermittentem in culpa esse, pulsus, quae observabatur, durante dolore, acceleratio, urina, quae emittebatur, dolore aliquando cessante, turbida. Quodsi Phloridzine, hoc in casu, se non tanquam febrifugum prodiderit, hoc tamen dicendum est, eam antiperiodicum fuisse.

OBSERVATIO SEPTIMA.

Gerardus Willebroords, agricola, annos natus viginti et octo, ante hos quatuor menses in febrem quartanam inciderat, quae ab eo inde

tempore eum non reliquerat. Jam annis superioribus intermittenti tertiana laboraverat, quae subinde aptis remediis fugata erat. Nunc vero certis de causis, erat enim pauper, negligebat medicorum opem implorare; praesertim quod paroxysmi haud ita vehementes essent, et quod opinabatur, eos sine remediis cessaturos esse. Aeger, qui erat temperamento bilioso, vigesimo octavo mensis Decembris querebatur de gastralgia et perturbatâ digestione, quam idoneâ, opinor, medendi ratione primum sustulimus einde ad diem vigesimum secundum Januarii hujus anni sequentem ei dedimus praescriptionem:

RC. Phloridzines gr. xx.
Sacch. albiss. dr. ½
M. F. pulv.,

qui meridie horâ prima et dimidia sumebatur; quoniam hora post febris accessio fieri solebat.

Neque tamen eo die, neque die vigesimo quinto; neque unquam post hoc febrem ullo modo sensit, quamvis ei nihil amplius Phloridzines praescripsimus.

Hanc ipsam observationem cum octo reliquis combinandam, neque exigui momenti ducimus, quandoquidem unâ dosi Phloridzines febris plane aversa est.

Duas alias observationes adjungere possem, sed satis, credo, concludi licet ex septem iis, quas jam retulimus, quam viam ingressi simus. In duobus istis casibus, quos omittimus, propterea quod nil habent, speciatim notatu dignum, febris,

cui medendo veneramus, tertiana erat. Simul cum hujus phaenomenis prodibant signa, tractum gastrointestinalem laesum esse denotantia. In utroque casu morbus non nisi paucas septimanas duraverat. Alter erat vir, altera foemina; illi autem una tantum dosis viginti granorum satis erat, ut febris pelleretur, huic contra duas doses (XVI et XX granorum) requirebantur.

Mihi non semper feliciter cessisse, volenti ope Phloridzines febrem tollere, jam antea verbo me dixisse credo; necessarium duxi, praeter casus, in quibus Phloridzines optati fuerint eventus, quoque eos recensere, in quibus frustra eam adhibuerim. Ne autem longus sim, duos tandum memorabo eosque paulo copiosius, reliquos tantum leviter attingam.

OBSERVATIO OCTAVA.

Catharina Caillou, annorum quadraginta duorum, juventutem suam intemperanter transegerat. Ex iis, quae mihi narravit decimo septimo Decembris, jam antea oeconomia animalis ista vivendi ratione perturbata fuisse videbatur. Praesertim organa digestionis affecta erant. Functio haec valde laesa erat; facie erat hujusmodi, quae eorum propria esse solet, quorum canalis gastro-intestinalis profunde laesus est. Reliqua phaenomena a me observata diagnosin, primo intuitu factam, confirmarunt; ea tamen omnia non enumerabo. Praeterea menstrua irregulariter fluxerant; febre

intermittenti jam antea laboraverat, nunc autem per biennium quartanâ fuerat affecta, quae antea frustra a medicis ope quininae ejusque praeparatorum tractata erat. Haec quidem subinde aliquot dies non apparuerat, sed nunc tribus ferme mensibus ante denuo in eam inciderat, et tertio quovis die ea continuo paulo post horam secundam meridianam corripiebatur.

Incipiebat levi cum frigore, brevi post calori cedenti. Hic autem calor vehementer molestabat aegram per duas horas. Deinde cutis humida fieri solebat, sed rarissime sudore copioso subsequente.

Quum igitur hoc in casu febris serius venisset ac nihil fere indicaret, ut eam statim oppugnarem, primum mihi faciendum putavi, ut perturbata digestionis organa sanarem. Quia aegra et paupera et ejus vires labefactae erant, pluribus remediis abstinere debui, quibus medici in ejusmodi morbis uti solent. Nostrum medendi consilium, quo et perturbationem canalis cibarii tollere et vires aegrotantis sustentare conabamur, parum prodesse potuit.

Regionem epigastricam unguento Autenriethii fricandam curavimus. Praeterea cibos eupeptos, sed exigua quantitate, potusque emollientes dedimus; denique, quantum potuimus, ne se potentiis nocentibus exponeret, commendavimus.

Die 3 Februarii conditio aegrae in universum melior facta, nec tamen febris multum modificata erat.

Quanquam adhuc longe aberat, ut canalis cibarius bona esset valetudine, ei tamen antiperiodicum porrigendum judicavi: febris enim praesertim in secun-

do stadio, aegram molestabat atque mihi verisimile videbatur, fluxionem periodicam ad organa abdominis, quae ex indiciis maxime in primo stadio obtineret, sanationi admodum nocere posse.

Die 5 Februarii dedi ei viginti grana Phloridzines, ad horam primam meridianam sumenda. Hodie febris semihora postposuit, sed neque vehementia neque perseverantià modificata.

Die 8 Februarii eodem fere tempore, quo die quinto, febris apparuit, sed aliquanto minori vehementia, quamvis eandem quantitatem Phloridzines aegra sumsisset.

Die undecimo Februarii praescripsi grana triginta Phloridzines, nullo tamen fructu. Erat quidem febris valde mitigata hoc die, sed tertio die post eadem se vehementia ostendit, quâ duodecimo die, quamquam hoc ipso die (14) totidem grana Phloridzines sumserat; quare die decimo septimo nullam amplius Phloridzinen praebendam decrevi.

Vehementiori multo frigore, quam secundo die Februarii, hoc die (17 Febr.) apparuit, eademque hora, quum tamen reliqua stadia peculiari modo essent modificata.

Die vigesimo Februarii sequens ei dedi remedium: RC. Laud. liq. Sijdenh. gtt. 20. Syr. Alth. et Aqu. ana Unciam. S.. Statim post initium febris sumendum vasculum, et alterum una quadrante hora post accessionem febris.

Aegrota largiter sudaverat et febris accessio quum multo minus fuisset vehemens, neque amplius sibi caput dolere affirmaret in hoc, quam in unoquo-

que paroxysmo soleret; propterea die vigesimo tertio Februarii triginta gtt. Laudani liq. Sydenh. ei dedi, quas eodem modo sumeret; ex quo, febre valde mitigatâ, tertio die post eandem quantitatem eodemque modo sumi jussi. Et quum isto die febre careret, hoc ei praescripsi: RC. Laud. liq. Sydenh. dr. ½, Syr. Alth. Unc. II. Aq. pur. Unc. IV. M. S. singulis diebus febrilibus, horâ secunda et dimidia meridiana vasculum.

Ab eo inde tempore febrem non amplius habuit. Curatio ulterius continuata, eam fortasse in pristinam valetudinem restituere posset. Nam istis septimanis, per quas eam visimus, in melius conditio mutata erat et cessaverat febris, quod utrumque et praesertim posterius prognosin faustam reddit.

Phloridzinen eo in casu, quanquam haud exiguis sumpta sit dosibus, non successisse, mea opinione, praeprimis attribuendum est illi canalis cibarii laesioni, quacum febris erat complicata.

Haec laesio etiam nobis ratio erat, cur Sulphate Quininae non usi sumus. Melius sperabam de Laudano liq. Sydenh., in aliquo syrupo demulcente, praescripto; quo etiam sequenti in casu non sine fructu usi sumus.

OBSERVATIO NONA.

H. Kas, piscator, annos agens triginta et quatuor, conditione suâ saepe coactus aëris intemperiei se exponere, potus praeterea nimis amans;

qui haud improbabiliter causa fuit, cur gastritidi chronicae obnoxius esset.

Paucis septimanis ante inciderat in febrem tertianam biliosam. Experiendi gratià aliquot grana Phloridzines ei sumenda dedi; erant autem grana viginti pari cum quantitate sacchari commixta. Sed ex eo minime temperata fuerat febris. In illius paroxysmi, ante quem Phloridzinen sumpserat, stadio secundo evomuit materiem amaram, ut mihi dixit. Phloridzine an bilis erat? Quae vomuit non examinare potui.

Quae res mihi persuasit, hoc in casu primo aptâ medicatione gastritidem chronicam tollendam esse, antequam cum ullà bonà spe Phloridzine uti possem. Dein autem requirebatur ut aeger abstineret a cibo potuque stimulantibus, quod se facturum mihi promisit.

Neque dubito, quin, si Kas potandi libidine abstinuisset, pristinam recuperasset valetudinem. Sed spem nostram fefellit, quare, nulla dum gastritidis tollendae supererat spes, statui iterum, die scilicet decimo quarto Februarii, magis experimentandi causa, quam spe alicujus fructus inde percipiendi ductus, recurrere ad Phloridzinen. Itaque ei scripsi sequentem formulam:

RC. Phloridzines dr. ½
Sacch. alb. q. s. ut.
F. pulv.

S. horâ octavâ mane i. e. horâ ante paroxysmum.
Quoniam igitur febris quodammodo modificata

erat, die decimo sexto Februarii eandem quantitatem Phloridzines eodem modo sumendam curavi. Sed nihilominus febris die isto horâ nonâ matutinâ accessit, neque ante horam quartam meridianam i. e. solito tempore, recessit.

Quum die vigesimo secundo Februarii febris non minor esset vehementia, quam antea, sequens ei formula in diem vigesimum quartum a me praescripta est:

RC. Laud. liq. Sydenh. gtt. xxx.
Syr. Alth. unc. II.
M. D.

S. horâ septimâ matutina cochlear, horâ octavâ alterum, tandem horâ nonâ quod superest.

Febris jam illo die multo mitior fuerat. Die vigesimo sexto eâdem quantitate Laudani eodem modo usus est.

Idem factum est die vigesimo octavo; quo tamen omni ferme febre caruit aegrotus. Quare secundo Martii decem guttas Laudani tantummodo ei sumendas dedi. Neque tantum isto die, sed etiam postea, nulla ei febris accessio fuit.

Etiam hoc in casu inflammatio chronica mihi causa visa est, cur Phloridzine non succederet.

Plures alios possum adferre casus, ubi nullo cum fructu Phloridzinen adhibui. Ne autem longiores simus paucis, eos contrahendos judicavi.

Duae foeminae quartanis laborabant, quarum altera jam multis abhinc mensibus exstiterat et per quatuordecim dies Phloridzinae repugnaverat; altera quartana duplicata erat. Haec aegra 88 grana

Phloridzines octo dosibus sine fructu sumpserat; illa 42 grana quatuor dosibus.

Quartanâ febri vexatae jam triginta guttulas, durante stadio frigoris, dedi; alteri tum, quum paroxysmus vehementior esset, totidem guttas, sed viginti postridie, utroque die in stadio frigoris sumendas.

Priori suffecerant 1½ drachm. Laudani, ut febris tolleretur; sed alteri quatuor propemodum drachmata praescribi debuerunt.

Alia foemina tertianam habuit, ad quam febrem tollendam 84 grana Phloridzines in tres doses divisa dederam. Etiam in hoc casu Laudanum adhibere necesse fuit. Ad hanc autem curandam tria drachmata requisita fuerunt.

Adfuimus insuper viro, quartanâ duplici laboranti, cui 112 grana Phloridzines praescripsimus. Etiam hîc ad alia remedia refugere cogebamur, quorum Laudanum liq. Sydenh. caeteris praeferendum judicavi. Tria drachmata, in tres doses divisa, sufficere credebamus ad febrem tollendam; haec tamen, postquam paucis diebus cessaverat, rediit. Iterum Laudano, sed majori dosi usi sumus. Tribus drachmatibus Laudani, in quatuor doses divisis, febrem cessare animadvertimus; sed ne rediret, per aliquot dies subsequentes febriles, horâ, quâ in febrem incidere soleret, decem Laudani liq. Sydenh. guttas ut sumeret, curavimus.

In duabus postremis observationibus perturbatio canalis cibarii in causa fuisse videtur, quare Phloridzines usus male cessisset.

Attamen in duabus reliquis ea defuit.

Accedamus nunc ad ea, quae in nosocomio Verae observavimus, referenda.

Per duos menses illos, quibus Verae moratus sum, septemdecim aegris Phloridzinen adhibuimus. Horum quatuor febre varioloïdea correpti sunt, quae ipsos intermittente liberavit.

Aegri, quorum mihi curatio mandata erat, laborabant omnes, si unum excipias, febre intermittente complicata *vel* hyperdiacritica aliqua membranarum mucosarum conditione, *vel* earum inflammatione, *vel* denique congestionibus versus nobiliora organa. Febris intermittens inter milites majori omnino pertinacià erat, quam inter incolas; et, quamvis in nosocomio degentes, continue tamen constitutioni aëris, sub qua morbum istum nacti fuerant, obnoxii manebant.

Complicationes in singulis apta medicatione tollere conatus sum. Speciatim autem hoc loco de irritatione gastrica dicendum est. Quamquam enim mihi verisimile esset, parum utilitatis inesse Phloridzinae in febribus intermittentibus, hac irritatione complicatis, non tamen abs re mihi visum est, primum illam adhibere iis, qui febre laborabant, irritatione gastrica complicata; deinde hanc irritationem tollere; ac denique Phloridzinen denuo praescribere. Itaque primis diebus, quibus in oppido Verae essem, Phloridzinen dosibus praescripsi octo, duodecim et sedecim granorum; neque initio has doses augere volui; quandoquidem tales doses Phloridzines mihi saepe satisfecissent ad intermittentes pellendas.

Deinde tamen, quum Clar. de Koninck me monuisset, has doses majores posse praescribi, Phloridzinen, etiam in febribus intermittentibus complicatis, ad dimidium drachma usque praescripsi.

Tamen non nisi uno in casu contigit, ut febrem; irritatione gastrica conjunctam, solius ope Phloridzines depellerem. Erat tertiana, in qua Phloridzinen ad 6, 12 et 20 grana praescripsi. In aliis item casibus, ubi febres complicatae intermittentes fuere, Phloridzine paroxysmos mitigare, imo duos tresve dies sistere licuit.

Pergamus autem ad reliquorum aegrorum considerationem. Sex ope Phloridzines febre liberavi. In quatuor horum, sublatis complicationibus, Phloridzinen, ad doses duodecim, viginti imo semel triginta granorum praescripsi. Erant una quotidiana, duae tertianae, una quartana. Alterius quartanae, quam Phloridzine depulit, historiam integram reddendam judicavi, quia eximius fuerat Phloridzines successus.

OBSERVATIO DECIMA.

Jacob Kortekaas, ex pago Voorburgerhout, in Provincia Hollandia, annos natus viginti duos, lymphatico temperamento, debili constitutione. Antea agricola, nunc tres annos militans, per duos ferme annos in Zelandia stipendia meruit. Hoc temporis spatio plerumque prospera non usus est valetudine.

Postquam in nosocomio, quo, exeunte anno 1835,

venerat, aliquod tempus transegerat, a Martio usque ad Augustum anni elapsi bene se habuit; sed hoc ipso mense febre intermittente correptus est, quae, invitis omnibus remediis, perseveravit, mox accedente affectione pectoris, quae tamen posterior, apta medicatione adhibita, recessit.

Febris interea quum aegrotum molestare pergeret, in nosocomium, quod Verae est, missus, ibique aliquod tempus commoratus, unius mensis spatio, grana nonaginta et octo Sulphatis Quininae, et unam unciam Corticis sumpsit, nullo tamen alio eventu, nisi quod febris aliquantulum mitigaretur, minime autem tolleretur.

Quum hujus aegri curationem in me susciperem, die vigesimo octavo Decembris anni 1836, qui erat febrilis, loco Sulphatis Quininae, unum ei pulverem praescripsi, in quo octo grana Phloridzines inerant. Illo die quum febre correptus non esset, ei, quarto die post, eandem quantitatem Phloridzines porrexi, neque etiam eo die, neque per duos illos menses, quibus eundem observavimus, ullum sensit motum febrilem.

Septem reliqui aegrotantes a Phloridzine nullum perceperunt fructum.

Apud tres eorum, quorum duo quartana, tertius quartana duplici laborabant, Phloridzine frustra adhibita, ad Sulphatem Quininae confugi. Hoc sal *vel* in pulvere, *vel* in solutione a nobis haud exigua dosi praescriptum, eos febre liberavit. Quatuor denique aegrotantes reliqui, scilicet, quartanam

duplicem, quartanam, tertianam et erraticam, quarum cura nondum fuerat absoluta.

Haec igitur sunt, quae hoc capite colligenda putavi. Exinde autem effici posse autumo:

1°. Phloridzinen vim habere antiperiodicam.

2°. de Phloridzines *per os ingestae* actione in iis, ubi febris intermittens cum irritatione tractus gastrointestinalis complicata est, non multum esse sperandum.

3°. Indicari igitur Phloridzinen *eo modo* non adhibere, nisi prius complicatio haec, si adest, sublata sit.

CAPUT V.

CONCLUSIONES DE PHLORIDZINES USU MEDICO.

Jam eo pervenimus, ut generalia quaedam de Phloridzines in medicina usu ponamus. Ut autem ordine quodam ad tot tantasque quaestiones, jam agitandas, respondeamus, sequenti modo procedendum judicavimus: ut primum Phloridzines, quantum posset, actionem explicare conaremur; dein hujus remedii poneremus indicationes atque contraindicationes; tum in diversa ejusdem praeparata inquireremus; tandemque Phloridzines praescribendae modum dosinque in singulis casibus indagaremus. Hinc igitur integrum hoc caput in quatuor sectiones secedit.

SECTIO PRIMA.

DE PHLORIDZINES ACTIONE IN ORGANISMUM ANIMALEM.

Phloridzines uti nobis videtur, duplicem exerit actionem, quarum altera *localis* est, altera *generalis*.

Actio localis illa est vis, quam jam ante exercet, quam in oeconomiam animalem recepta sit, in eas partes, quibus immediate contigua sit.

Actio generalis duplicem agnoscit causam.

a. Omnes partes nostri corporis quodammodo mutuo inter se conjunctae sunt; adeo ut in nulla parte existere possit modificatio, quin in alias partes habeat efficaciam. Haec connexio inter quaedam organa arctior est, quam inter alia. Membranam autem gastro-intestinalem mucosam et systema nervosum in se invicem haud exiguam exercere vim, nemo, opinor, negabit. Modificatio igitur, quae *actione locali* Phloridzines in membranam mucosam tractûs gastro-intestinalis, si nempe per os vel per anum ingeritur, per systema nervosum gangliosum cum integro systemate nervoso communicatur, nostrâ quidem opinione, jam *actio generalis* est, quae, ne cum sequenti confundatur, *actio generalis secundaria* nuncupari possit.

b. Praeterea Phloridzine solubilis est ac absorbetur. Argumentis quidem hujus positionis directis hucusque caremus; sed ex analogiâ magnam nanciscitur probabilitatem.

Itaque actio localis Phloridzines haec est, ut membranam mucosam, quam immediate contingit, irritet. Hanc autem vim irritantem pro quantitate medicamenti augeri, multoque etiam majorem esse, Phloridzine solutâ, quam formâ solidâ adhibita, in secundo capite demonstrare conati sumus.

An vero actio Phloridzines tantum sit localis? Jam antea innuimus, ad hanc quaestionem non nisi

per inductionem responderi posse. Nimirum credimus, hac in re, ex iis, quae in aegro post sumptam Phloridzinen fieri videmus, ad ejusdem actionem in hominem, *sive* is integra utatur valetudine, *sive* morbo laboret, concludi prudenter licere.

Videmus igitur, in multis tum aliorum medicorum, tum nostrum observationibus, Phloridzinen, in febre intermittente adhibitam, hanc depulisse.

Jam vero verisimillima est eorum opinio, qui phaenomena febris intermittentis, perturbationi *sive* idiopathicae, *sive* sympathicae systematis nervosi gangliosi attribuant. Omnia enim phaenomena, quae in hoc morbo sese exhibeant, satis ostendunt, hanc perturbationem auctae actioni istius systematis deberi. Remedium igitur, quo hujusmodi perturbatio tollitur, *sive* mediate, *sive* immediate in illud agat systema, necesse est.

Nunc autem oritur quaestio: Estne generatim actio febrifugorum, atque speciatim Phloridzines, mediata vel immediata? Hoc mihi verosimilius esse videtur; sed quoniam, quod dolemus, ope Phloridzines talia experimenta non fecimus, iterum ex analogià ratiocinemur, necesse est. Sulphas autem quininae quum magnopere tànquam antiperiodicum cum Phloridzine conveniat, propter hoc ipsum, nisi fallimur, ab illo sale ad hujus principii actionem jure concludi posse putamus.

Jam vero docuit observatio, Sulphas quininae aeque antiperiodicum esse, *sive* per methodum iatralepticam, *sive* per endermaticam in oeconomiam

animalem intromittatur, *sive* denique, ut fere solet, per canalem gastro-intestinalem. Id igitur, immissum in sanguinem, circulationis vià, non item actione locali in membranam mucosam gastro-intestinalem, vim suam in systema nervosum exercere videtur.

At fortasse quis dicat: fieri, ut supertartas potassae et stibii, in venam injectum, vomitum aeque bene cieat, at si per os ingestum esset, dein et alcohol, quocumque modo in corpus immittatur, semper tamen congestionem efficere ad cerebellum, adeo ut, similiter antiperiodica in membrana mucosa gastro-intestinali, constanter alicujus modificationis esse causa, atque hac vià, ideoque mediate, in systema gangliosum agere possent.

Attamen cum his, ut opinor, pugnant ii casus, ubi febris intermittens morbosae sit juncta affectioni canalis cibarii, adeo ut antiperiodica, hac viâ adhibita, *aut* tolerari nequeant, *aut* nullum adferant levamen, dum contra, per aliam viam immissa, revera prosunt. Praeterea ea objectio haud parum labefactatur observatione, antiperiodica aliquamdiu ante paroxysmos adhiberi debere, nisi forte sumantur talia, quae facile absorberi possunt.

Haec omnia si ad Phloridzinen referamus, poni posse credo: eam absorptam per sanguinem demitti in systema nervosum gangliosum atque ea via, quoniam singulae partes systematis nervosi tam arcte sunt conjunctae, actionem exercere generalem in hoc systema ac proïnde in totum corpus.

Quoniam operae pretium duxi, ut vim, quam Phlo-

ridzine in secretiones et excretiones exerceat, perspectam haberem, in observationibus maxime ad has animadverti; sed confitendum est, ad nullam certam me exinde pervenisse conclusionem. Etiamsi enim in tribus observationibus expertus sim, Phloridzinen, febrem intermittentem depellentem, simul etiam auxisse urinae secretionem, animadvertendum tamen, hos aegrotantes, dum febre laborarent, de urinae secretione parcâ conquestos esse. Quod probabiliter ex aucta diaphoresi, qualis in tertio paroxysmorum stadio obtinebat, explicandum est. Hac autem propter pulsam febrem cessante, per antagonismi leges diuresis augeretur, necesse erat.

Etiam in laudem Phloridzines hoc addendum puto, eam, licet majoribus praescriptam dosibus, nullam unquam in auditum habuisse vim nocivam. Hâc igitur in causa praestat sulphati quininae, quippe quod non tantum tinnitus ingratos aliis aegris excitet, sed etiam alios per aliquod tempus surdos reddat.

Ex dictis jam sequentia efficere posse mihi videor:

1°. Phloridzinen, uni ex membranis mucosis contiguam, hanc irritare. (*)

2°. Eam irritationem reliquis partibus oeconomiae animalis communicari posse.

3°. Phloridzinen vim in systema nervosum habere, licet haec, ubi secundâ valetudine utimur,

(*) Deficienti opportunitate, experimenta nulla fecimus de vi, quam Phloridzine cuti, *sive* epidermide tectae, *sive* orbatae, contigua facta, exerceat; quocirca ea de re nihil referre potuimus.

non appareat. Eam autem comprobare videntur, quae de aegrotis retulimus.

4°. Verisimillime hanc actionem obtinere, soluta, absorptâque Phloridzine, postquam systemati nervoso ganglioso applicata est.

5°. Eam vim Phloridzines in systema nervosum, propter modum, quo Phloridzine systemati nervoso contigua fit et propter ejusdem actionem in oeconomïam animalem, jure merito, *actionem generalem* vocari posse.

Quaestio adhuc solvenda restat, utrum actio Phloridzines in systema nervosum sit sedantis vel irritantis generis? Utrum Phloridzine febri intermittenti medeatur irritando systema nervosum gangliosum, cujus laesio causa est phaenomenorum morbosorum, atque hac ratione irritatam conditionem nova irritatione tollat? an vero febrem sanet hac irritatione exhaurienda? — Comparatio actionis probabilis praecipuorum, quae nobis innotuere, antiperiodicorum plurimum fortasse conferret ad hanc quaestionem solvendam.

Hoc igitur argumentum, quamvis primo intuitu superfluum esse videatur, doctioribus tamen, ex opinione nostra, haud indigna esset materies, in quâ elaborarent. Scilicet ea soluta et curationi et naturae multorum morborum, maxime eorum, qui nomine *neurosium* et *neuralgiarum* veniunt, cognoscendae valde profutura esset.

SECTIO SECUNDA.

QUIBUSNAM IN CASIBUS PHLORIDZINE INDICATA, QUIBUSNAM CONTRAINDICATA EST?

Alicubi dicit Clar. Voulonne, et, ut mihi videtur, summo jure: « autant les fébrifuges sont utiles dans la fièvre intermittente, autant ils sont « nuisibles dans la fièvre continue." Paucis iis verbis definitum reperimus, ubi Phloridzine, quae inter antiperiodica, ut usus docuit, est recensenda, adhiberi possit, ubi non.

Hucusque persuasum est nobis, quod attinet actionem localem, Phloridzinen cum fructu posse succedere aliis remediis, eamque non nisi in his casibus esse commendatam:

1°. *In febribus intermittentibus.*

Etiamsi ea, quae in tertio ac quarto capite commoravimus, jam abunde Phloridzines vim antiperiodicam demonstrant, imprudenter tamen a nobis factum fore crediderim, si Phloridzinen in omni febre intermittente adhibitam vellemus. Ut hanc nostram opinionem explicare possimus, nonnulla speciatim consideranda sunt.

Febres intermittentes dividi posse censeo omnes in benignas, et in perniciosas, quae *vel* regulares, *vel* irregulares sunt.

Existimamus, in prima classi febrium intermittentium adhiberi posse Phloridzinen, eamque revera semper praescriptum iri, ubi paroxysmos tollere velimus. Hoc sequitur ex iis, quae et alii, et nos de ejus adhibendae ratione in talibus casibus experti sumus.

Quaeritur vero: an Phloridzinen in febre intermittente perniciosâ praescribere liceat? Nos quidem id negandum esse judicamus. Nam licet vis antiperiodica Phloridzinae negari nequeat, requisita tamen quantitas Phloridzines ad febrem pellendam major in plerisque, uti ex nostris observationibus apparet, est casibus quam sulphatis quininae. Jam vero plurimum interest perniciosâ laborantis, ut brevissimo temporis spatio quam maximam quantitatem antiperiodici recipiat. Duorum igitur antiperiodicorum, quorum alterum pari volumine majorem habeat efficaciam, alteri, hac in febre, esse praeferendum non prorsus negare quisquam poterit. Quare usus sulphatis quininae in febribus intermittentibus perniciosis, mihi quidem, Phloridzinae foret anteponendus.

At forte quis mihi sequentia objiciat: majorem quidem fuisse quantitatem Phloridzines in nostris observationibus requisitam, quod eam *sub formâ solida* adhibuimus; Phloridzinen vero, alia aptiorique forma praescriptam, a sulphate quininae vi et efficacia forsitan non discrepare.

Non negamus, hanc objectionem habere, quibus nitatur, rationes, eamque quae a nobis perpendatur perdignam esse. Quapropter sequentia, de usu Phloridzines in febre intermittenti perniciosâ, statui posse nobis videntur.

1°. Nequaquam esse demonstratum, Phloridzinen in medendo hisce febribus sulphati quininae posthabendam esse.

2°. Esse, quod credamus, Phloridzinen, *sub for-*

mâ liquida adhibitam, esse efficaciorem, quam si eadem *sub forma* sumatur *solida.* Hoc tamen ulterioribus observationibus adhuc confirmari oportet.

3°. Usus ubi docuerit: Phloridzinen vi et efficacia sulphati quininae esse parem, eam adhibere poteris in febribus intermittentibus perniciosis.

Manifestum quidem erit ex ratione, quà quaestionem: an Phloridzine in febribus intermittentibus perniciosis sulphati quininae sit postponenda? solvere conati sumus: nos, licet eorum agendi rationem haud improbemus, qui in his febribus Phloridzinen praescribunt, medicis persuadere velle, ne ab usu sulphatis quininae recedant, nisi tum demum, quum illud remedium magis perspectum habituri sumus, aliorumque usu edocti, quaestiones solvere propositas, et igitur eam rem cum aliqua certitudine dijudicare poterimus. Hic enim valet sententia: « *medicina experta melior est, quam non* « *experta.*"

2°. *In casibus nonnullis febrium remittentium.*

Siquidem eae febres non sint perniciosae, quà in re, quae dicta sunt de febre intermittente perniciosa, etiam hic applicari possent, et tamen antiperiodicum adhiberi debere judicemus, etiam hac in re Phloridzine cum fructu uti posset.

Haec pauca de indicatione Phloridzines in his febribus satis esse arbitror, quoniam ad argumentum nostrum minus pertinet, quibusnam in casibus antiperiodici usus esset indicatus. Hos autem,

ex opinione nostra, perquam restrictos esse, ex iis, quae supra innuimus, jam patet.

3°. *In neuralgiis et neurosibus, quae non producuntur inflammatione acuta.*

Saepius sulphas quininae in neuralgiis felicissimo fructu praescribitur, quam ut ne Phloridzines ibidem periculum facere desiderarem. Cujus autem, mihi occasio hucusque defuit. Attamen ex analogià vix dubito, quin Phloridzine cum optatu effectu in his adhibenda sit.

De industria autem de his malis adjeci: *quae non producuntur inflammatione acutâ;* nam, ubi neuralgiae, *sive* sint continuae, *sive* intermittentes, a stimulo permanente dependent, ibi quoque, plerisque in casibus, quae ad eas exstinguendas adhibentur, remedia sine fructu esse, usu docemur quotidiano. Neque tamen haec regula est sine exceptione. Quandoquidem enim interdum fieri potest, ut, persistente morbo locali, affectio, quam produxerat, nervorum tollatur, cum mali levamine, prohibemur in omnibus iis casibus, quibus neuralgiae stimulo efficiuntur permanente, proscribere antiperiodica.

Ex indagatione autem, quatenus Phloridzine in diversis nervorum affectionibus sit commendata, dijudicare demum possumus, quanti foret momenti scire: num Phloridzine systematis nervosi sit *aut* irritans, *aut* sedans.

Quum igitur quomodo agat in hoc systema nos lateat, atque etiam nunc experimenta ad hoc requisita, desint, haec tantum statui posse censemus.

a. Verisimile esse, Phloridzinen in neuralgiis idiopathicis praescriptam profuturam.

b. Ejusdem vim in reliquas nervorum affectiones dignam censeri posse, quae experimentis exploretur.

Phloridzine in iis non tantum casibus adhibenda nobis videtur, ubi affectio non inflammatoria systematis nervosi existit, sed etiam nonnunquam in iis, ubi inflammatio nervosae affectionis causa est. Ante oculos autem habere volumus, valde dubium esse, tali semper in casu aliquem ab adhibito antiperiodico percipere fructum.

Quum multum absit, ut *vel* utilitatem, *vel* noxiam, quam Phloridzine in singulis, quos recensuimus, morbis producat, usu perspectam habeamus; optandum est, ut eo perveniatur, inprimis ab iis, quibus occasio est Phloridzinen in diversis istis morbis praescribendi, ad hunc finem multa institui fore experimenta.

SECTIO TERTIA.

DE DIVERSIS PHLORIDZINES ADHIBENDAE FORMIS.

Quum isti, in quibus Phloridzine, nostra quidem opinione, adhibenda sit, morbi tam variis appareant formis; eosque multae aliae affectiones morbosae comitari queant, consequitur, ut Phloridzine non semper uno eodemque modo praescribenda sit. Operae pretium igitur est scire, quibus diversis formis Phloridzine adhiberi possit. Ad hoc autem examen jam accessimus.

Ut in eorum recensione aliquem servemus ordinem, primum dicemus de iis, ubi *sub formâ so-*

lidâ occurrat, deinde, ubi *sub forma liquidâ* eam praescriptam volumus.

Phloridzinen *sub forma solidâ* adhibituris eam *vel* in pulvere, *vel* in pilulis, *vel* in electuario praescribere licet.

Phloridzinen, *in pulvere* praescriptam, quam purissimam esse oportet.

Eadem, vel *in pilulis*, vel *in electuario* si uti velis, aliqua ratione quidem optandum foret, non nisi puram adhibere Phloridzinen; sed, pretii ratione habitâ, extractum corticis radicis mali, probe praeparatum, loco Phloridzines adhibere licet. His porro sub formis praescripta apte cum aliis remediis, v. c. Sulphate quininae, Muriate ammoniae, Supertartrate potassae et stibii, Opio conjungi potest.

Phloridzinen *sub formâ liquida* adhibiturus, eam *vel* aquâ pura, *vel* aqua accidulatâ, *vel* aquâ, *sive* infusione, *sive* decoctione principiis alienis praedita, *vel* denique alcohole solvere, prout requiratur, jubebis.

Phloridzinen in aquâ purâ solutam clysmatis loco adhibuit van Mons, Vir clarissimus. In aquâ acidulata facili negotio quaedam grana Phloridzines dissolvi queunt. Phloridzinen tamen si quis praescribere cupiat, aliis remediis mixtam, v. c. Muriati ammoniae, Tartaro emetico, Sulphati quininae, eam apte una cum iis remediis in infusione florum Chamomill., vel in infusione aromatica solvere licet.

Praeterea si Phloridzine cum aliis remediis conjungenda est, inprimis inserviunt decoctum corti-

cis rad. mali, *vel* extractum ejusdem corticis, aquâ solutum, quorum utrumque parvo volumine plurimum Phloridzines solutae continet, nisi forte solutionem alcoholicam praeferre velis.

Puram Phloridzinen solvendo semper certus eris de dosi; sed, quum praeparatum Phloridzines alcoholicum minoris pretii, quam illa solutio requiritur, tinctura corticis rad. mali, probe praeparata; ejus loco praescribi potest.

Non pauca ergo sunt, quibus hanc adhibiturus uti queat, Phloridzines praeparata. Videamus nunc paucis, quae eorum sint aptiora, praecipuis in causis, ubi Phloridzine indicatur.

SECTIO QUARTA.

QUOMODO ET QUA DOSI PHLORIDZINE PRAESCRIBENDA EST PRAECIPUIS IN CASIBUS, QUIBUS EJUS USUS INDICATUR?

Ut ad hanc quaestionem respondeamus, ad singulos morbos, in quibus ex secundâ sectione hujus capitis Phloridzine indicata est, modum, quem nos maxime probamus, trademus.

In eà enim sectione usum inprimis suasimus Phloridzines in febribus intermittentibus, quae benignas sese exhibent. Hujusmodi autem febres crebro comitatur irritatio gastrica vel gastro-intestinalis, quae irritatio, ut ex observationibus meis apparet, tum valde obesse solet actioni Phloridzines, quum ea per os ingeritur.

Ex observatione tamen, quam instituerat van Mons, Vir clarissimus, patet Phloridzinen, in oeconomiam animalem, tali in casu per clysma immis-

sam, optatum habuisse effectum, etiamsi gastritis chronica adesset. Haec observatio, quam ipsi iterare non potuimus, nos docet, ubi febris intermittens irritatione gastricâ sit complicata, aliâ viâ atque per ventriculum Phloridzinen intromittendam esse.

Clar. van Mons Phloridzinen aquâ calida dissólvit et forma clysmatis adhibuit. Hujus loco, nisi fallor, decoctum corticis rad. mali, vel extractum ejusdem corticis, aqua solutum, adhiberi possunt. Haec enim rátio eo mihi videtur praestare Phloridzines solutioni aquâ calidâ, quod volumine minori major Phloridzines quantitas continetur.

Quum Phloridzine in clysmatibus praescribatur, singulis addi possunt aliquot guttae Laud. liq. Sydenh. Sed febris intermittens nonnunquam irritatione complicata est, quae non tantum in ventriculo, sed in crassis etiam intestinis sedem habet; iis in casibus Phloridzine neque per os, neque per anum immitti posset. Ne dicam, complures esse, qui hujusmodi clysmata tantopere aversentur, ut nunquam fortasse iis persuaderes ut, hâc viâ Phloridzinen acciperent. In hoc utroque casu Phloridzine per methodum iatralepticam sumenda foret; neque ullum praeparatum, hâc in re, mihi aptius videtur, quam Phloridzines solutio alcoholica, vel, hujus loco, tinctura corticis mali.

Hae alcoholicae Phloridzines solutiones caeterum rarissime usupari debent, si excipias eos casus, ubi Phloridzinen methodo iatraleptica adhibere velis. Non enim, hâc in re, plane consentio cum Viro

clarissimo de Koninck, eas solutiones propterea *nunquam* interne adhibendas esse credenti, quod nempe febrem intermittentem saepius morbosa canalis cibarii conditio comitaretur. Negandum quidem non est, eam complicationem saepissime adesse; attamen casus existere puto, ubi in febre intermittente talis sit ventriculi conditio, qualis alcoholicam Phloridzines solutionem non aspernaretur. Inprimis autem ea solutio praeparatis reliquis fortasse praeferenda foret, in iis, qui, potus amantiores, ventriculo tamen satis valenti sunt.

In plerisque autem casibus, quum febri intermittenti, irritatione gastricâ vel gastro-intestinali complicatae, medendum est aptâ medicatione, prius complicationem tollere conandum est, ut sic per ventriculum Phloridzine corpori ingeri possit; inprimis autem, ut removeatur actio illa nociva, quam irritatio, in aliquâ tractûs gastro-intestinalis parte haerens, in systema nervosum gangliosum exercet.

Dantur etiam casus febris intermittentis, quam per totius morbi decursum nulla comitatur organi cujusdam notabilis laesio. In omnibus his Phloridzine *sive* sub forma solida, *sive* sub forma liquida uti possumus

Ubi febris mitis appareret, priori sub formâ eam praescripserim, nisi forte aegrotantes hanc formam adversarentur.

Forma pilularum ad depellendam febrem minus idonea mihi videtur; quoniam Phloridzine sic solvendo minus apta est. Quodsi tamen non nisi hac

formâ aegro alicui adhiberi deberet, quia omnem aliam formâm negaret, Phloridzinen, *aut* cum extracto cort. rad. mali conjunctam, *aut* hoc unum praescribendum putarem.

Haec forma pilularum fortasse etiam in paucis iis casibus indicata esset, ubi febris intermittens levi cum irritatione, quae tantum in ventriculo sedem haberet, complicaretur.

Quibus tamen in casibus Phloridzine, sub formâ solidâ adhibita, *aut* male succederet, *aut* minori quantitate Phloridzines febris esset tollenda, *aut* imprimis in quibus febris pertinaciâ suâ medicamento reluctaretur, Phloridzinen sub formâ liquida praescriberem, eamque solutam *vel* aquâ acidulata, *vel* infusione aromatica adhiberem, *vel* hujus loco decoctum cort. mali, *vel*, si hoc non succederet, extractum ejusdem corticis, aqua dilutum, ubi nempe per os ingerenda esset Phloridzine, darem.

Non est hujus loci observare, quae his solutionibus addenda nonnunquam sunt remedia, ad vim antiperiodicam Phloridzines adjuvandam; eorum aliquot jam supra memoravi.

Hic animadvertendum etiam censeo: esse, qui putent, binas substantias, quae, licet nonnullis proprietatibus diversae, vi tamen, quam exercent in hominem, conveniant, conjunctim adhibitis majorem habere efficaciam, quam si alterutra eâdem quantitate adhibeatur. Haec opinio, quae, ni fallor, factis aliquot bene observatis nititur, fortasse etiam hic applicanda esset. Idcirco Phloridzines cum sulphate quininae conjunctio, *sive* in pulve-

re, *sive* in solutione non prorsus rejicienda foret. Aptissima mihi videtur ea conjunctio in febribus intermittentibus perniciosis. Itaque sulphatem quininae, hucusque princeps harum febrium remedium, aptissime cum Phloridzine conjungi posse puto. Caeterum plura, quae de adhibenda Phloridzine tanquam remedio intermittentium benignarum diximus, applicari possunt ad perniciosas. Sed, quoniam hucusque quininae sales tanquam remedium febrium intermittentium perniciosarum, Phloridzinae anteponeremus, de hujus usu in his febribus plura dicere nolumus, nisi unum monitum excipias. Quum enim febris intermittens perniciosa saepius inflammationibus canalis cibarii aut aliorum quorundam viscerum complicetur, cavendum est, ubi Phloridzinen adhibere volueris, ne superficiei inflammatae contigua fiat, adeo ut iis in casibus vel methodus iatraleptica, vel clysmatum adhibitio sit commendanda. Praeterea in hisce febribus a Phloridzine sub formâ solidâ adhibenda abstinendum, quum, vel ventriculo sano, Phloridzine tamen sub formâ liquidâ hic melius conveniat.

Febre intermittente sublatâ, remanet semper praedispositio aegris in eandem recidendi. Quae ut aut ipsa, aut saltem ejus effectus amoveatur, per aliquot dies etiam nunc remedia praescribi solent. Quoniam igitur non omnino assentior Viro doct. Nepple, in opere, quod inscripsit: *Traité sur les fièvres remittentes et intermittentes etc.*, sublatâ febre antiperiodicorum usum non continuare suadenti,

quaedam de Phloridzines praeparatis, quae nobis hoc scopo aptiora videntur, addere convenit.

Phloridzine in pulvere praescribi posset, vel etiam in pilulis, quarum haec forma priori praeferenda videtur, quoniam magis inserviat Phloridzinae cunjungendae cum aliis remediis, quam si in pulvere praescribatur; verum optima forma hic quidem esse videtur *electuarium*, ut pote quae aptior est, quam pilularum forma ad quamvis conjunctionem.

Electuarium etiam est, quo plerumque utimur, quum, febre intermittente per Sulphas quininae sublatâ, corticis usum per aliquod tempus continuare animus est. Sed, quemadmodum in aliis praeparatis Phloridzines jam animadvertimus, non quâvis occasione electuarium adhiberi poterit, propterea, quod reperiantur, qui formam pilularum aut aliam etiam huic praeferant. Multi sunt, quibus dulce utili magis cordi est, ita ut remedia aversentur omnia, nisi formâ sibi gratâ praescribantur, ex quo iis plerumque morem gerere coacti sumus.

Etiam in febre remittente Phloridzine indicata esse potest. Ea autem, si cum irritatione gastricâ vel gastro-intestinali connexa sit, eaedem adhibeantur cautelae, quas in cura febris intermittentis, illa irritatione complicatae, praescripsimus.

Porro iis in febribus nunquam solutionem Phloridzines alcoholicam interne indicatam esse censeo.

Quod autem attinet conjunctionem Phloridzines cum Narcoticis, Tartaro emetico, Salem ammoniaco, et quae sunt reliqua; ea, uti mihi videtur, in his fe-

bribus minus indicata est, quam in intermittentibus. Attamen unum excipiendum esse censeo, nimirum Opium, cujus vis sedans, ubi Phloridzinen in clysmate adhibere velis, interdum valde prodesse potest.

Quum pilularum forma plerisque aegrotantibus optima esse reperiatur, eam valde accommodatam esse censeo iis neuralgiis ac neurosibus, contra quas Phloridzine usurus sis, quandoquidem in iis affectionibus haud magna Phloridzines quantitate quotidie opus sit, eamque per aliquod tempus continuare oporteat.

Habita autem ratione conditionis aegrotantis morbique vehementiae, si opus esse judicamus, reliquorum Phloridzines praeparatorum unum alterumve adhibere licebit.

Quum enim homines valde inter se differant, ejusdemque remedii alia sit vis in alios, porro febres intermittentes pro variis anni temporibus, at praesertim pro regionum diversitate, pertinaciâ discrepent, vix fieri potest, ut quantitas Phloridzines, quae cuique febri tollendae requiratur, cum aliqua certitudine determinetur.

Verisimillime tamen statui posse credimus, si Phloridzine per os sit ingerenda, 8-16 grana sufficere ad febrem quotidianam pellendam; ad tertianam vero 12-20 grana; ad quartanam denique 30-40 grana, quae quantitas bis vel ter adhibenda in nonnullis erit.

Quum quantitas a duodecim, usque ad quadraginta grana, simul sumpta, non nisi partim in

ventriculo solvi possit, nisi forte Phloridzine per aliquod tempus ibi remaneat, ac porro vis antiperiodica non agat, nisi Phloridzine absorptâ, proïnde plerisque tertianâ et omnibus quartanâ laborantibus Phloridzinen semper sub formâ liquidâ, ac praeterea, quantum fieri potest, in quartanis solutam infusione, cui alia remedia adjuncta sint, adhibendam esse censeo.

Antea hora ante paroxysmum non nisi unam dosin Phloridzines sumendam praescribere solebam; usu autem edoctus, melius nunc duco, pro quantitate Phloridzines sumenda, eam praescribere in duas vel quatuor, aut plures doses divisam, quarum una omni bihorio sumitur, donec ultima dosis duas ferme horas ante paroxysmum sumpta sit. Ille modus aptior est, ut Phloridzine absorbeatur atque efficaciam suam praestare queat.

Pari vel paululum aucta quantitate Phloridzines, per anum intromissae, eundem effectum obtineri posse existimo, ac si per os ingesta esset, si modo Phloridzines quantitas praescripta in tribus aut pluribus clysmatibus diversis temporibus injiciatur. Uti jam supra monui, additio 10-20 guttarum Laudani liq. Sydenh. valde indicata esse videtur.

Quodsi Phloridzine per methodum iatralepticam uti volueris, doses semel aut bis duplicandas esse suaserim.

In febribus intermittentibus perniciosis, ubi eam adhibere velles, multo majores doses sumi possent; v. c. unum drachma et amplius, quo-

niam, si hujusmodi quantitas in plures divisa esset doses, nullum inde damnum oriretur.

De dosibus, quibus Phloridzine in febribus remittentibus praescribenda esset, nihil dicam, quoniam, quae de febre intermittenti circa illas diximus, iis applicari possint.

Quamquam in neuralgiis et neurosibus antiperiodica majoribus dosibus praescribentes non improbem, eadem tamen, minoribus dosibus adhibita, saepissime fructum suum habere testari possum. Quum igitur in neuralgiis Sulphas Quininae exiguis dosibus (½ - 1 gr. de die) plurimum profuerit, propterea quoque Phloridzinen eadem quantitate primum experiendam esse credimus, ac tum demum, quum exiguam illam quantitatem non sufficere constaret, majores praescribendas esse doses.

T A N T U M.

THESES.

I.

Omne vivum ex vivo.

II.

Bichat erravit nimiam tribuendo claviculae utilitatem ad brachii mobilitatem.

III.

Vasorum ope foetus cum matre communicat.

IV.

Respiratio foetui, quamvis adhuc in matre retineatur, minime in omni casu neganda.

V.

Errat Bayle, dicens: « il suffit d'avoir des yeux « et de la patience pour amasser des observations, « et l'art de faire des recherches en médecine est « presque réduit à une sorte de mécanisme: il « n'est point alors nécessaire d'avoir un grand ta- « lent pour composer un ouvrage utile."

VI.

Verissime Andral de theoriae medicae dignitate pronuntiat: « Servons nous des systèmes en mé» decine comme d'admirables méthodes, sans les« quelles il nous serait impossible de rassembler les « faits, de saisir leurs rapports, de découvrir les « lois de leur production; mais gardons nous d'ou« blier, que les faits eux-mêmes font toute la richesse « de la science, et qu'à eux seuls appartient de « déterminer la valeur et la durée des systèmes."

VII.

Non assentimur Clar. Suringar « qui *breves* « vel *acuti* dicuntur morbi febres sunt et inflam« matio varia. Ad quam duplicem classem sin« gula morborum acutorum genera apte possunt « referri."

VIII.

Percussio mediata anteponenda percussioni immediatae.

IX.

Nulla datur functio laesa, integro organo.

X.

Nunquam animus aegrotat.

XI.

Verba celeberrimi Bichat: « Qu'est l'observati-
« on, si l'on ignore là où siège le mal." in permultis, at non in omnibus valet morbis.

XII.

Phthisis datur laryngea idiopathica.

XIII.

Irritatio gastro-intestinalis causa maxime communis irritationis hepaticae.

XIV.

Valde eorum opinio probanda, qui gangraenae, ut dicitur, senilis, atque illius, quae ex usu secalis cornuti provenit, causam in arteritide positam esse existimant.

XV.

In tumoribus erectilibus, non pediculatis, curandis maxime conducit, producere in iis inflammationem adhaesivam, haec autem inflammatio optime fit introductione acuum.

XVI.

Excisio ad polypos uteri curandos plerumque ligaturae praeferenda est.

XVII.

In gravioribus oculi inflammationibus applicatio vesicatorii ad palpebras, nonnunquam commendanda est.

XVIII.

Funiculus umbilicalis, post partum, semper ligandus.

XIX.

Apud neonatos asphycticos funiculus umbilicalis semper perscindendus.

INDEX.